Lot 276

42599/B



George Thomas Wyndham.

42599/B

88539

CL. QUILLETI

CALLIPÆDIA, &c.

ET

Scævolæ Sammarthani

PÆDOTROPHIA.

LONDINI:

Impenſis J. Bowyer, ad Inſigne Roſæ, Plateâ Ludgate-ſtreet juxta Porticum Occidentalem Eccleſiæ Divi Pauli, 1709.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

CL. QUILLETI
CALLIPÆDIA,
SEU DE
PULCHRÆ PROLIS
HABENDÆ RATIONE,
POEMA DIDACTICON.

Cum Uno & Altero ejuſdem Authoris

CARMINE.

Juxta Editionem Pariſienſem, adjectis verſibus aliquot ex Lugduno-Batavâ.

—— Pulchrâ faciat te prole Parentem.

LONDINI,
Impenſis J. Bowyer, ad Inſigne Roſæ, Plateâ Ludgate-Street juxta porticum Occidentalem Eccleſiæ Divi Pauli, 1708.

EMINENTISSIMO
S.R.E. PRINCIPI
CARDINALI
JULIO MAZARINO
CL. QUILLETUS ABB. D. S.

DIU multúmque cogitavi (CARDINALIS EMINENTISSIME) prudentíſ-ne animi foret, hujus Poëmatis editionem, ſub ſacri tui Nominis auſpicio, moliri. Ab hoc propoſito me

 deter-

deterrebat tenerioris, nec abundè gravis, ut multi ex prima fronte cenſebant, Argumenti conditio; cujus tractationem oculis tuis objicere piaculum potiùs eſſet, quàm deditæ menti congruum, tuæque dignitati conveniens obſequium. Ecquis enim (inquiebant illi) hominem vanum & in publica commoda peccantem non arguat, qui ſummum Gallici Imperii Adminiſtrum, ad ludicræ minúſque ſeriæ Callipædiæ lectionem abducat? Omnem tamen ex animo ſcrupulum, aliæ ſi non omnibus acceptæ, mihi certè potiſſimæ rationes exemerunt. Hoc Poëma, Romæ, in tuo natali ſolo, incœptum; Lutetiæ, in ampliſſi-

mo tuæ Virtutis & Gloriæ theatro affectum, & numeris abſolutum ſuis, tuo Nomini nuncupari geſtiebat. Sic divini Maronis opus Georgicon, cujus exemplar & ideam, longo quamvis intervallo, aſſequi conatus ſum, C. Cilnio Mecœnati, totius Imperii Romani, ipſiúſque Auguſti Imperatoris Adminiſtro, inſcriptum quondam fuit; ipsíque non modò Poëtæ, ſed & ipſius Poëmatis fautori & Patrono, æternum apud Poſteros nomen decúſque comparavit. Equidem Callipædica hæc Georgicis conferre non auſim,

——Sic parvis componere magna puderet.

Atta-

Attamen (abſit dicto invidia) noſtri hujus qualiſcúmque operis Argumentum, Virgiliano antecellere audacter aſſeverem. Enimverò quis ſegetes etiamſi lætas, lætis thalamis; Ulmis adjunctas vites, Sponſis ad Pulchram ſobolem delectis; boum curam, habendíque pecoris cultum, ipſius Hominis coaleſcentis, naſcentis & adoleſcentis curæ præponat, niſi malus rerum æſtimator haberi non erubeſcat? Sed & illa nobilis, viríſque ingenuis adeo digna Uranoſcopia, in noſtro non ſecùs ac in Georgico Carmine, ſuum ſibi locum vendicat, dum quo ſidere Pulchra proles utero concipiatur, accuratè & forſan non illepidè canimus. His liceat addere

rati-

rationem, quæ Carmen hoc noſtrum Regibus etiam, Regnorúmque moderatoribus ſeriò commendet. Quum enim ipſorum imperium, imperiíque moderamen, non in ſegetes aut pecora, ſed in ipſos Homines proprio & convenienti modo procedat; quis hæc noſtra de Humanæ pulchræque prolis habendæ ratione Præcepta, ad Regnorum decus robúrque conducere, SALICISQUE etiam Legibus adjungenda eſſe non concedat?

Accipe ergo (CARDINALIS EMINENTISSIME) hunc genuinum animi noſtri fœtum; ſi non formæ venuſtate, materiæ ſaltem dignitate commendabilem;

—— &

——*& jam nunc votis aſſueſce vocari.*

Hîc ſanè opus eſſet, ut ad tam eximium Argumentum egregiè & appoſirè tractandum, eximios quotque ſpiritus, versúſque non publici ſaporis afferrem: ſed quamvis id, pro ingenii modulo, præſtare nequeam; Tu tamen ipſius Mecœnatis erga me partes implere ne dedigneris. Hunc, ut rerum Imperii gerendarum ſolertiâ, cæteríſque tum Belli tum Pacis Artibus apprimè vincis; ita & ejuſdem comitatem, lenitatem, & in politioris litteraturæ cultores effuſum amorem, te non ſolùm imitari, ſed

ſed & ſuperare par eſt, tuíque Animi magnitudini conſentaneum. Vale, & me tibi addictiſſimum novâ benevolentiâ proſequere.

Typographus Lectori.

EN alteram (LECTOR BENEVOLE) *Callipædiæ, hoc eſt, lepidi* de Pulchræ prolis habendæ ratione, *Poëmatis Editionem, auctam, recognitam, & ipſius auctoris menti verè conſentaneam. Quæ, duobus abhinc circiter annis, ſub fictitio Calvidii Leti nomine, Lugduni Batavorum typis excuſa prodiit, pluribus non modò erroribus, ſed & ſententiis diſſonis inſperſa, mirum eſt quantum hujus fœtus genuino Parenti diſplicuerit. Hic, quo inſcio, opus immaturum in lucem eruperat, de neceſſariâ ejus animadverſione, imò & caſtigatione ſtatim & ſeriò cogitaverat; atque ut legentium animos novâ dulcedine mulceret, ei in promptu erant non pauca, quæ Carmi-*

nis hujus argumento non diſſentanea, auctarii vice, adjungere meditabatur. Sed multi, per aliquot menſes hinc indè obices exorti, huic propoſito moras injecerunt; quas quum hodie tandem aliquando removerit, nunc ſibi omníque bonæ menti gratam operam navare poſſe feliciter exultat.

Accipe ergo (AMICE LECTOR) *non corruptam aut adulteratam; ſed nativam & legitimam, ipsóque accurante auctore, editam Callipædiam. Ab hâc exulârunt aſpera illa, quæ, neſcio quo fato, in Batavam editionem irrepſerant; atque in eorum locum, potiora, nî fallor, ſubjectæque materiæ accommodatiora ſubierunt.*

In Primo quidem Libro adjunctam habes παρέκβασιν *ſeu excurſionem in hujus ſæculi Avaros, qui pinguem dotem cæco deſiderio proſequentes, hanc in aptandis conjugiis, Nuribúſque aut Generis eligendis unicè concupiſcunt. Ipſa etiam ad amabilem noſtrum Regem* LUDOVICUM,

DOVICUM, *pro Nuptiis, Apoſtrophe, quæ, in priori Editione, conciſior, & ſalebroſior apparebat, nunc fuſiori & æquabiliori ſtylo procedit; Regiæque Sponſæ ad pulchram ſobolem aſſumendæ rationem, ingenuo nec forſan inepto conſilio proponit.*

Secundi Libri initio, lætitia Nuptialis ampliùs & amœniùs explicatur. Et, quod in Batavo exemplari omnino deerat, adjecta ſunt ad finem non illepida præcepta, quibus maſcula proles, ſatis appoſitâ methodo, progignatur.

In Tertio, poſt vires imaginationis accuratè perpenſas, habes inſuper adjectam, de Prægnantis in Curriculo vectatione, tractationem; conſitique ad Sequanæ ripas Ulmarii, rhedarúmque duc frequenter & affatim accurrentium deſcriptionem; quam legere animóque identidem revolvere non pigebit.

In Quarto deniquepoſtremóque Callipædiæ Libro, præter immutata & inſerta quædam, ad Italorum Gallorúmque Ani-

Animorum Icones ſpectantia, offertur tibi non inſulſa in Magnates Patres animadverſio, quòd Pueros ſuos vix ferulæ Magiſtríſve ſubductos, omnibus nullo diſcrimine ſodalibus & cœtibus admiſceri concedant. Tum pro univerſi Operis coronide, Pacis jamdudum expetitæ, proximéque futuræ Vaticinium accedit, quod Muſis Vatibúſque debitam felicitatem, placidúmque Callipædiæ uſum non inamœnè pollicetur.

His te præmonitum volui (LECTOR INGENUE) *ut quæ Batavis typis deeſſent, noſtrìſque acceſſiſſent, apprimè pernoſſes. Hâc ergo noſtrâ operâ amicè perfruere, & quæ* δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι *immutârunt & adjecerunt, æqui bonique conſule.*

TOTIUS
CALLIPÆDIÆ
OECONOMIA.

POEMA diſpertitum eſt in quatuor Libros. Primus orditur ab invocatione Pulcherrimorum Numinum. Exinde Pulchritudinis, varias Regiones æſtimatæ cauſam, ex appoſitâ ad rem Pandoræ fabulâ, deducit. Sponſorum ad pulchram prolem deligendorum conditiones exequitur; deſinítque, imminente delectis Sponſis Hymenæo.

Secundus, celebrato Hymenæo, leges in coïtu ſervandas attingit. Aſtrologicas cautelas, ſiderúmque ad formoſam ſobolem conducentium vires, expromit; tum quibuſdam aliis regulis adjunctis, ſeminibus conceptis, abſolvitur.

Tertius,

Tertius, ſignis Conceptûs explicatis, quædam præcepta Prægnantibus inculcat. Vires imaginationis in ſignandis fœtibus extollit. Has probat ex formatione Chironis Centauri, cujus in Phillyræ utero coalitum natalésque deſcribit. Earumdem cauſas ex principiis Epicureæ Philoſophiæ delibat. Tum partûs quibuſdam erroribus Puellum diſtorquentibus indicatis, variolíſque oris venuſtatem præcipuè deturbantibus indigitatis, concluditur.

Quarto libro, cæteris paulò prolixiore, Pulchro veniens è corpore Virtus, humanæque, tum maſculeæ, tum fœmineæ, mentis Pulchritudo, ex Intellectûs & Voluntatis virtutibus emicans, tractatur: ita ut demum Poëta, oblatæ ſibi derepentè Calliopæ, &, poſt inculcata quædam Virginibus & Nuribus conſilia, avolanti, valedicens, operi coronidem imponat. Hæc eſt Oeconomia totius noſtræ Callipædiæ. Hâc fruere, & lætare.

CLAU-

CLAUDII QUILLETI CALLIPÆDIÆ

LIBER PRIMUS.

QUID faciat lætos thalamos; quo ſemine felix
Exurgat proles, & amœni gratia vultûs;
Sidera quæ lepidas fundant per membra figuras;
Et quæ vis animæ Geniali præſit Amori:
Quæ decora eximiam pulchro ſub corpore mentem
Commendent, claríſq; Hominem virtutibus ornent,
Hîc canere aggredior. Vos ô Pulcherrima mundi
Numina, formoſæ Charites; Túque alma Leporum
Mater, in Idæis cui quondam ſaltibus, æqui
Judicio Paridis, formæ victoria ceſſit;
Idalios afflate modos; ne incompta venuſtam

Materiem Muſa infamet; ſed carmine grato
Diſcendam humano generi circumferat Artem.
Fors erit, ut noſtra accipiant, interprete Sponſo,
Ingenuæ præcepta nurus; ſi quando beatam
Exoptent ſobolem, ſpeciosáque corpora natis.
Nec poſthac homines fœdis ſpernentur ubique
Conjugiis; pravâ queis membra exoſa figurâ
Sordeſcunt, turpíque omnis Venus exulat ore.
Vos modò, quos blandi genialia fœdera lecti
Invitant, pulchram poſt fata relinquere Prolem,
Attentis animis ſtate; & ſi grata canemus,
Noſtra vireſcenti præcingite tempora myrto.
Principio, quibus in formis ſubſtantia Pulchri
Conſiſtat; qui frontis honos; quæ blanda genarum
Conditio; quæ grata magis ſe vertice ſpargat
Cæſaries; quibus in labiis fragrantia libes
Baſia; quas teneris ſtringas amplexibus ulnas,
Noſſe juvat. Sed enim variis ſoboleſcit Amantum
Quæſtio diſſidiis. Albam hic Amaryllida laudat;
Huic Chloris ſubfuſca placet: Te flava comarum
Retia, Daphni, tenent: Tu nigros, Thyrſi, capillos
Diligis, & rutilis horres in crinibus aurum.
Cæſius hunc oculus ferit: hunc pupilla ſub atro
Nigra ſupercilio ferventi corripit igne.
Nec ſatis. hic graciles procerâ mole puellas
Ardet, carnosámque odit male-ſanus amicam.
Tanta Cupidineâ ſub Relligione vagatur
Hæreſis, occœcátque animum ſua cuique libido!

Nec modò fœmineam ſpeciem contraria fingunt
Senſa virûm: ſed adhuc marium veneranda venuſtas
Uſque latet, variáſque ſecat ſententia gentes.
Cernis, ut Æthiopes vultus candore coruſcos
Contemnant, Stygiíſq; colorem hunc civibus aptent?
Quis neget elatum convexo fornice naſum
Continuò antiquis placuiſſe Euphratis alumnis;
Ex quo conſpicuum tali ſub imagine norunt
Eoi Regem Imperii, qui Lydia junxit
Regna ſuis, traxitq; opulentum in vincula Crœſum?
Quid memorem niveo gaudentes corpore Gallos,
Prolixíſque comis, & apertæ frontis honore?
Quid fuſcum Hiſpanum, & nigri ferrugine tinctum
Sanguinis, ingentes humili ſub mole minantem
Conatus, tumidóque frementem in ſidera faſtu?
Hic licet, occiduo & longâ vertigine feſſo
Sole, ſub æthereas erumpat luminis oras,
Se tamen ipſe putat pulchrum; molléſque Britannos
Spernit, & oblongis Germanica membra lacertis.
Unde tot in rebus claris diſcrimina? quænam
Diverſos hominum ſenſus cauſa abdita ſcindat,
Muſa refer, primóſque retexe ab origine lapſus.
Jam novus ornatâ mundus compage nitebat;
Atque creatarum ſeries pulcherrima rerum
Nativas monſtrabat opes: nondum impia ſecli
Pernicies, nitidum ferro corruperat aurum.
Eminus auratâ fulgens teſtudine cœlum
Lucentes puro paſcebat in æthere ſtellas:

Nec denſus quiſquam è pelago ſurgebat in altum
Halitus, obſcurâ raperet qui nube ſerenum.
Undique mundities aderat. Tu Phœbe micantum
Aſtrorum Princeps, nullis obnoxia velis
Lumina ſpargebas; Tua per veſtigia currens
Limpida nocturnas fulgebat Luna per umbras.
Ipſa ſibi adnatis ſaxis, animalibus, herbis
Aſpera, nec minimâ tellus ſpectabilis arte,
Nil tamen obſcæni redolebat: at omnia purus
Spiritus illæſo ſervabat ubique tenore.
Quippe, ſub hæc teneri primordia candida mundi,
Candorem retinebat homo; nec perdita proles
Flexerat obliquos recto de tramite mores.
Unus erat cultus Superûm; non cæca Libido,
Non levis ambitio petulanti irrepſerat Orbi.
Nec ſolus pietatis honos, animíque venuſtas
Humanum genus ornabant; ſed gratia cunctis
Inſita corporibus, totiúſque optima molis
Temperies, formæqúe decor per membra coruſcans,
Pulchra incorruptæ jungebat corpora menti.
 Hunc ubi de rutilo concentum cernit Olympo
Omnipotens, ſanctúmque vigere per omnia fœdus;
Summum opus adjungamus, ait: cœlique, ſolíque
Delicias omnes Nympham cogamus in unam.
Vix ea fatus erat; vaſtum per inane volantes
Accurrunt operi ſpecies: Cryſtallinus Orbis
Corpoream inſternens molem, ſe in fruſta ſecari
Gaudet, ut æthereos Divæ ducatur in artus:

Sol capiti annectit radios: albentia frontis
Marmora dat Phœbe: nivea inter lilia fingit
Purpureas Aurora genas: mellita labella;
Efformat Venus; & reliquo ſe corpore fundit
Divus Amor, lepidâ Charitum ſtipante coronâ.
His adeò inſtructum membris, ſpeciéque decorâ,
Protinus implevit vitali flamine corpus
Divûm hominûmq; parens; atque apto nomine dictam,
Pandoram, verbis ſic interpellat amicis.
I formoſa Deûm ſoboles, hominéſque benigno
Ore bea; tua te terris præſentia reddat
Conſpicuam, referétque tuæ miracula formæ.
Scilicet humanis oculis (dum innoxius ævi
Fulget honos) placet, ut Pulchri natura pateſcat.
Tu tamen, humanæ ſi curas gaudia ſortis,
Et ſtabilem ſervare cupis per ſecla decorem;
Quam tibi committo fatali ſemine plenam
Pyxida, ne levior digitis reclude profanis.
Si facias: mox fæda lues invadet in omnem
Progeniem, tibi nec turpis mutatio parcet.
Dixit. At hæc dicto velociùs effluit aſtris:
Et luſtrans terras peregrè, haud Epimethea ſolum
Viſit, ut Aſcræi referunt inſomnia Vatis;
Ipſa ſed in vulgus ſe prodens, ſplendet ubique
Os humeróſque Deæ ſimilis. Circumflua geſtit
Turba virûm, obtutúque ſtupens hæreſcit in uno.
Corporis hic habitum miratur; at ille comarum
Auratos radios: niveo hinc candore coruſca

Frons

Frons micat: hinc ſpirat divinum vertice odorem.
Et (quod vix canerem, niſi Sacro Numine Phœbus
Innueret) Pandoræ oculi, ceu luminis orbes,
Æthereum decus addebant ſpectantibus. Alto
Sic rutilans Aurora polo, ridentia paſſim
Prata beat, pulchrúmque ſolo dat pulchra colorem.
Unà adeo cuncti ſexûs utriuſque lepores
Splendebant, dum recta hominum natura malignos
Neſcibat mores, ſed honeſtâ in lege manebat.
   Aſt ubi felicis mutatio degener ævi
Humanæ ſobolis mentes ad devia traxit;
Protinus incœpit pravæ contagia gentis
Haurire, inſanóſque ſequi Pandora furores.
Quippe diu non illa ſtetit, quin juſſa ſupremi
Aſpernata Dei, cæcâque libidine rapta,
Sacrilegâ (ô facinus!) reſeravit pyxida dextrâ:
Unde ſtatim vaſtas teter prorupit in auras
Spiritus; ipſius qui virginis ora laceſſens,
Continuò innatum frontis delevit honorem,
Fœdavítque genas; oculíſque crepuſcula craſſa
Offundens, nullâ decus ullum in parte reliquit.
Nec ſatis. In mortale genus de ſemine eodem
Morborum numeroſa cohors proceſſit; & ipſum
Infeſtâ contage petens, corpúſque, animûmque,
Humanæ rationis opes commiſcuit atris
Errorum nebulis, genuináque lumina vertit.
Hinc Pulchri natura latet, ſempérque latebit
Humanam ſobolem; nec erit qui nubila denſa

Diſcutere, & tantas poſſit reſerare latebras.
Ergo quid in tantâ ſtatuemus nocte? quod umbras
Diſſolvet jubar? adſis ô rutilantis Olympi,
Phœbe, decus, radiiſque novis nova lumina ſparge.
Scilicet in totum quamvis ſe fuderit orbem
Contages; tamen haud æqualia damna recepit
Omnis humus, pariterque gravi ſub fomite ſordet.
Illa ſed algentem regio quæ vergit ad Arcton,
Quæque per immodicos Solis comburitur æſtus,
Turpibus ante alias horreſcunt gentibus. Illa,
Immenſo diluta mari, turpiſſima geſtat
Corpora, queis lentos moles inhoneſta per artus
Spargitur: hanc turpat fœda e fuligine ſurgens
Sordities, criſpíque atra inter tempora crines;
Labrorúmque tumor ſimis ſub naribus extans.
Nec tamen hîc ſileam, proprio quod Apolline Princeps
Scribit Arabs; terras, medio ſuper axe locatas,
Temperie æquali mixtis cum frigore flammis
Gaudere, æternúmque boni dulcedine cœli.
Namque duos utrimque Polos, ſummóq; micantem
Vertice quum ſpectent Libram, æquâ lance calentis
Diviſos Phœbi radios cum nocte tepente
Semper habent. Hinc innumeris ditiſſima Tellus
Luxuriat donis; duplici ſe Vere reſolvit:
Bis parit innumeros nullo conamine fructus:
Bis tandem modicæ perſentit frigora brumæ.
Unde ego crediderim genita in regionibus iſtis
Corpora, temperie pulchrâ formíſque decoris

Ornari; nî fœdi habitûs infamia fuſcam
Offerret ſpeciem, & nimii argumenta caloris.
Ergo è limitibus Zonæ torrentis, in ipſum
Nonnihil inclinare Polum, me judice, fas eſt,
Si dulcem terræ genium, pulchróſque colonos
Quæris, & antiqui monumentum inſigne decoris.
Tu modò ſub calido Latio, Heſperiâque rubenti
Nuſquam conſiſtas: ſed in ulteriora recedas
Europæ ſpatia, Elyſio quo ſe æquore fundit
Gallia, felicíque homines ſub ſidere paſcit.
Præſertim irriguis quà ſe Turonia campis
Submittit, varióque reſurgit in æthera colle.
Hîc ubi fœcundos Liger almus repit ad Andes,
Fluminibúſque tumens loca fœta feracibus undis
Alluit, & croceâ nitidus ſplendeſcit arenâ;
Conſpicias multas formâ præſtante nitentes,
Pandorámque ſuo referentes corpore Nymphas.
Nobilis has paſſim mediocri in mole figura
Commendat: non craſſa nimis, non ſquallida macris
Artubus, at pulchro membrorum clara nitore.
Si frontem inſpectes, tenero lævore coruſca
Prominet; & molli deſcendens lactea clivo,
Efformat placidos oculis ridentibus alveos.
Cerne genas; rubeo referunt ſuffuſa colore
Lilia, quæ labii roſeos comitantur honores.
Quid celebrem auratos crines? quid eburnea colla?
Mammarúmque decus ſpirans, & cætera dici
Quæ prohibet pudor, & caſtæ reverentia Muſæ?

Nec tantùm in noſtris felix natura triumphat
Virginibus; ſed maſculeo ſub corpore pubes
Emicat, innuptis haud aſpernanda puellis.
Aſpice ut imberbes habitus laudabilis ornat,
Æquáque temperies pulchræ ſocia addita formæ.
Pallida non facies; non atri aſpergine tincta
Humoris; ſed ſanguineo ſpectabilis oſtro,
Excipit undantes ſublimi è fronte capillos.
Nec minor in reliquis membris præſtantia: firma
Compages per cuncta viget; formoſa tororum
Mobilitas; mediæque habilis proportio moli.
Has adeo ſpecies noſtri clementia cœli
Producit. Nec enim calido vicinius Auſtro,
Nec gelido Boreæ; medium ſed munere Divûm
Clima tenens, tepidas præſtat viventibus auras.
Ergo age (ſi noſtras addiſcere non piget artes)
Hæc memori ſub mente geras: *Non omnis habenda*
Vir muliérque vacet ſoboli; nec turpia dulci
Corpora committas operæ, ſacríſq; Hymenæis.
Quis tetram horrendo Noctem Phlegethonte ſubactam
Neſciat anguiferas Orco peperiſſe Sorores?
Quis nigri thalamos Ditis non horreat? atrum
Quæ Cyclopa ferat Virgo? non Mulciber ullam,
Judice me, Venerem premat; in fornacibus Ætnæ
Uſque furens, ſteriles infelix exigat annos.
Sed mihi pulchra ſapit, *ſano qui corpore fortes*
Connubiis aptat, tædíſque jugalibus arcet
Invalidos: ceu quos miſeræ tormenta podagræ

Affligunt, morbúſve Sacer; mentíſque pudéndus
Error, & inſana infeſtans præcordia bilis;
Aut pulmonis edax ulcus, paſcénſque medullas
Ignis, & exſucco veniens in corpore tabes.
  Scilicet humanam ad prolem (mirabile dictu)
Deciduum toto procedit corpore ſemen;
Une malos membrorum habitus, altéque repoſtas
Viſceribus patrum labes traducit in ipſam
Progeniem, & natis vitam impertitur amaram.
Heu quoties vidi miſerandâ ſorte creatos,
Æthereas querulis nequicquam planctibus auras
Rumpere, & innocuis nimiùm male-dicere Divis!
Ergo tibi inprimis, Sponſi Sponſæque legantur;
Turpia nec pulchræ quæras primordia proli.
Ecquis enim furor eſt? lætas dum poſcis ariſtas,
Triticeæque decus ſobolis, comedendáque farra;
Haud unquam inverſo tradis marcentia ſulco
Semina, ſed flavum Cereris melioris honorem:
Tu tamen intereà humanam contemnere pergis
Sementem; nec clara tuæ te gloria ſortis
Tangit, ut incolumes uteros, uteríque colonos,
Sincerúmque petas valido de corpore ſemen.
Té-ne Hominis natura latet? té-ne ipſa Tonantis
Effigies? té-ne hic animus, cui ſidera nota,
Cui mundi genus omne ſubeſt, haud poſſit inertem
Erigere, ut veræ documenta capeſſere cures
Artis, & æthereæ condas pulchra atria menti?
Diíque Deæque omnes quibus alma cubilia curæ;

Queis

Queis hominum ſatio arridet, promiſcua paſſim
Semina, & infirmos thalamis arcete maritos,
Invalidáſque nurus: ſua ne primordia damnet
Progenies, voveátque Erebo Diríſque parentes.
Tu modò, qui firmo ſervas molimine mundum,
Divûm Hominúmq; parens, pravum conſiſtere morem
Ne patiare: novus claro deſcendat Olympo
Naturæ Genius, qui Homini præcepta ferendo
Scribat, & ad reliquos tranſmittat ſcripta nepotes.
Nec mihi ſufficiant vegetâ de gente parata
Conjugia; eſt aliud ſuperat quod cætera punctum:
Ne juveni vetulam jungas, vetulóq; puellam.
His nec lætus Hymen, nec amicâ lampade fulgens
Allucet Sponſis Juno: ſuccedit iniqua
Tiſiphone, accensâ Stygio de ſulphure tædâ.
Cernis, ut antiquo juvenis male-nupta marito,
Amplexus gelidos, invisáque baſia vitet
Quotidie, lachrymíſque genas ſuffundat obortis,
Tithoni exoſum fugiens Aurora cubile?
O fortunatum, quem caſtis ignibus Atyn
Deperiit Cybele! tantæ ſi baſia ſicca
Delibaſſet anûs, juvenili robore caſſus
Paullatim effætis animam liquiſſet in ulnis.
Quippe ſeneſcentes artus invadit iniqua
Ariditas, quâ vivificus conſumitur humor
Puberibus teneris. Libycos ſic ſæpe per agros
Irrigui bibulis imbres ſuguntur arenis,
Torrida nec pluvio ſaturatur ſidere tellus.

Præterea tam diſſimili juveníſque ſeníſque
Semina temperie pugnant; ut ſi quis in auras,
Concordi tandem coïtu, proruperit infans,
Heu nimiùm miſero langueſcat debilis ævo;
Nec validis poſſit patriæ ſuccurrere nervis.
 Haud tamen hîc ſileamus; ut auri ſacra cupido,
Immenſæ vel dotis Amor, noſtra optima paſſim
Conſilia, & pulchras ſoleat contemnere leges.
Nimirum immodico ſi quis patrimonia cenſu,
Et multis gravidam nummorum millibus arcam
Monſtret, & uxori promittat; protinus omnes
Hunc ambire ſibi generum matréſque patréſque
Cernimus, & lepidas certatim offerre puellas
Conſpicuo Diti: quamvis huic viſcera rodens
Fœda lues, Nuptæ contagia dira minetur;
Quamvis vel tremulæ languentia membra ſenectæ,
Fœcundámque negent Venerem, thalamóſq; beatos,
Atque infelici moveant faſtidia ſponſæ.
O quantas lachrymas, ô quanta hic tædia lectus
Infauſtus feret! eximium marceſcere florem
Ætatis, turpéſque tori ſuccedere fructus,
Aut nullos, miſeranda nurus noctéſque diéſque
Ingemet, & Veneris ludos horrebit iniquos.
Quinetiam amplexûs potioris amœna libido
Si fortè invadet teneram (fœtentia nam quæ
Oſcula, & invalidum non execretur Amorem?)
Quot mœchis temerata domus ſordeſcet? alendos
Quot tibi turba procax dabit, ô Curruca, Puellos?

Hic

Hic equitem, hic vernam, vicinum hic exprimet Infans
Civem; aut bellacis frontémque oculóſq; Tribuni.
Quæ tibi tot longis congeſta pecunia crevit
Ærumnis; tibi quæ locupletes ordine longo
Tranſmiſere Patres, pinguiſſima prædia, lævis
Numinibus, cedent alieno indebita nato.
  Nec tantùm hæc privata domus diſpendia ſperet:
Ipſi etiam effœto nonnumquam robore Reges
Maſculeo, aut veteris ſteriles ob ſemina morbi,
Infantes celſis in pulvinaribus ortos
Suſcepere nothos. Quondam data jura pudendo
Et ſceleri, & natæ mœchi de ſanguine proli:
Indignum quandoque caput diademate cinctum;
Sceptráque ſuppoſito, ô facinus! tranſmiſſa tyranno.
  Sic quoque divitiis quæcumque aut dote beatâ
Inſignis celebratur Anus; licèt aſpera rugis
Ora gerat, lippis oculis, & dentibus atris
Horrida, clangosâque agitans præcordia tuſſi:
Hæc tamen inſano ſi fortè libidinis œſtro
Percita, connubiis inhiet ſeríſque hymenæis;
Non deerit Juvenis, qui illam ſectetur Amator,
Ingentéſque affectet opes, nexúmque jugalem
Offerat, & vetulæ macilentum ad corpus anhelet.
Aſt ubi ſe ad multi communia commoda cenſûs
Sentiet adſcitum, paullatim triſtia ſurgent
Tædia, & uxoris tetrum aſpernabitur ignem:
Virginis, aut Nuptæ flagrabit amore coævæ,
Dum gemet in vacuo conjux deſerta cubili.

Hinc

Hinc queruli erumpent fletus, iræque furentis
Zelotypæ, ſpretíque atrox injuria lecti.
Hinc etiam hippomane affuſo, mixtâ-ve rubetâ
Incautum audebit fatis urgere maritum.
Unde ego communes coïtus, & neſcia pacti
Conjugia optarem induci (niſi ſancta vetaret
Relligio) quippe ingenitis rationibus æquam
Eligeret ſaltem Venerem Natura; nec ægris
Miſceret ſana, aut morientia corpora vivis.
Uſque adeò ſimili gaudentes flore juventæ,
Et valida integris jactantes robora membris,
Congruit ante alios geniali incumbere curæ!
Nec tamen impubes Pueros crudáſq; Puellas
Junxeris. In vacuis nondum genitalibus humor
Turget, at ingenuâ diſtendit mole lacertos,
Creſcentémque Hominem partes diducit in omnes.
Has ideò leges, ſervandáque fœdera dudum
Impoſuit Themis, ut biſſenum impleverit annum
Fœmina, ſi Veneris dulci indulgere labori,
Et firmam cupit ex utero deponere prolem.
Namque ubi jam cœpit muliebri in corpore moles
Firmari, fervétque novo calor acrior æſtu;
Tunc ſupereſt, roſeóque uterum circum-alluit amne
Sanguis, in annonam fœtûs & pabula Nati:
Maturóque ſimul turgentes tubere mammæ
Inſpirant blandum laſcivi flamen amoris.
Sic quoque dum maribus molli lanugine pubes
Induitur, ſolidíſque accedunt robora membris,

Fertilis exultat vigor; &, Junone ſecundâ,
Tunc licet uxoris blandos penetrare receſſus.
His ſanè ordinibus Mundi, & rationibus æquis
Conjugia aptantur; nec erit qui talia pulchræ
Fundamenta neget ſobolis, thalamíque beati.
Interea dum tam lepidâ verſamur in Arte,
Conjugibúſque damus leges; En Pulcher amandâ
Pubertate viget, validâ qui Gallica geſtat
Sceptra manu, æternóque Patrum diademate fulget
Chara Deûm ſoboles, cælo Lodoicus ab alto
Miſſus, ut innocuis moderetur legibus Orbem.
O qualis decor ore nitet! quàm Regia toto
Corpore Majeſtas, animúſque ad grandia ſurgens!
Hunc optant jam mille Deæ: Hunc ſpectabilis ardet
Nympha Tagi, Auſtriaci auguſto de ſanguine Ditis,
Jungendóſque novo nexu promittit Iberos.
Hunc Luſitanis etiam ſuſpirat ab oris
Regia Virgo gemens, Hiſpanæque æmula flammæ.
Hunc etiam Eridani Nymphæ, Rhenique bicornis
Depereunt, certántque ſacris incendere tœdis.
Tu tamen has omnes (noſtræ ô ſpes maxima gentis)

« Deſpicias, nec te externi capiant Hymenæi.
« Scilicet haud paucas offert tua Gallica Tellus
« Regali dignas thalamo, & quæ ſidere eodem
« Prognatæ, haud variâ pugnantia ſemina fundant
« Temperie, aut figant ignotis baſia labris.
« Nec te Conjugii teneat tam cæca libido,

« Ut

« Ut quam aut Italicus jactabit Regulus, aut quam
« Vel Padus oſtentet, Tiberis vel turbidus Amnis;
« Immeritis adhibere toris digneris: & alti
« Stemmatis oblitus vili amplectaris amore.
« Dum tamen ad Magni felicia fœdera lecti,
* Prudenti præſtans, &c.

Sedulus expendas, lectámque ad baſia jungas.
Scilicet haud ullam thalami regalis honore
Digneris, cujus non ipſa inſpexeris ora
Tu priùs, inſertámque alto ſub pectore mentem.
Quis ferat inſanum morem, quo, Numine cæco,
Excelſùm Sponſa ad lectum non viſa vocatur,
Eligitúrque oculis alienis Regia Conjux?
Immo hoc in votis ſit primum, ut Pulchra jugali
Juncta tibi vinclo, & pulchro de ſanguine creta
Uxor adorandâ faciat te prole Parentem.
Ecquid enim Populorum animos, ſubjectáq; corda
Leniùs afficiat, Regúmque ad Numina flectat,
Quàm ſi formoſam decorent diademata frontem,
Pulchráque ſidereo majeſtas fulgeat ore?
Quid juvet antiquo Regnantum è ſtemmate Sponſam
Ducere, Junoném-ve ſuis adjungere ſceptris,
Si fuſcis obſcœna genis, & corpore fœdo,
Vel nullum penitus, vel turpem inſpiret amorem;
Unde etiam ad Regnum turpis ſe proferat hæres?
Non latet, ut crebris temeretur Regia ſcortis,
Quum ruit in vetitam Venerem, famâq; ſiniſtrâ

Regius

Regius uxorem nimiùm aſpernatur Adulter.
Sic ſæpe exoſæ pertæſus conjugis olim
Juppiter, humanum promiſcua ſtupra per Orbem
Intulit, & ſpuriis fœdavit ſidera Natis.
Eripe te his, Rex magne, probris; contentus amandâ
Conjuge, Regales formosâ prole Penates
Auge, & conſpicuos pueros in ſceptra repone.
Quin etiam (ſi tanta loqui per Numina nobis
Sacra licet) poſſes minùs altâ è ſtirpe paratum
Sumere conjugium; modò pulchrâ nobile formâ
Concordes gereret ſplendenti in corpore mores,
Unanimíque tuas leniret pectore curas
Nimirum per Connubia, ingentéſque Hymenæos
Munimenta ſibi quærant, nutantia quorum.
Sceptra labant, nec firma ſuis radicibus hærent.
Sic tener elatam palmes deſiderat ulmum.
Sed quibus invicto Populorum robore perſtat
Majeſtas, proprio Reges ſe pondere librant;
Vicini nec egent vano tutamine Regni.
  Dum tamen auguſti decus ad ſublime cubilis,
Prudenti præſtans delectu quæritur uxor;
Me liceat cœptum, Phœbo aſpirante, laborem
Perſequi, & optandas ſponſis edicere leges.

CALLIPÆDIÆ

LIBER SECUNDUS.

SED jam legitimo ſociati fœdere Sponſi
Fœcundos ardent coïtus: jam læta, peracto
Officio, è cœnâ Agnatorum turba recedit.
Ipſe pater ſaturo turgens abdomine Bacchus
Deſpicit effuſo redolentia pocula vino,
Inverſáſque ſolo pateras. ſaltante choreâ,
Florentes annis pueros, agiléſque puellas
Laſſarunt criſpo modulantes pectine chordæ.
Jam citharâ inſignis licito prælufit Amori
Hedymeles; dulcéſque jocos & ſuavia cantans
Baſia, felicis promiſit pignora lecti.
Imò & veſanum pectus, moréſque ferocis
Palladis, & ſtolidæ deridens vota Dianæ,
Te ſolam, Cytherea, piis mortalibus æquam
Perſonuit: tua lætitiam ſtudia alma beatam
Præſtare, atque ipſi ſolatia blanda Tonanti.

Te, formoſe Pari, meritis evexit ad Aſtra
Laudibus, eximiæ quòd debita præmia formæ
Donaſſes Veneri, ſævâ frendentibus irâ
Supremíque uxore Dei, innuptâque Minervâ.
Aſt nimis inſanum ſalibus tentare jocoſis
Haud veritus Phœbum, infando quòd perditus æſtu
Oebalium ſterili puerum vexarit amore,
Excuſsóque caput quaſſarit amabile diſco.
Te quoque, ſumme Pater, Phrygii quòd amore puelli
Correptus, tetro fervens indulſeris igni,
Contempſit: nam ſola canens, quæ utrimq; reſolvunt
Oſcula, perverſum Diris oneravit Amorem.
Moroſi riſere ſenes: riſere verendæ
Matronæ, caſtæque nurus. Sed Veſper Amantes
Sollicitat, Veneríſque ſacro micat Aureus Aſtro.
Ergo abeas inamœne Pudor. Succedat amicâ
Lampade ridentes agitans Hymenæus Amores,
Atque maritalem jactans Saturnia tedam.
Vóſque adeo, o paſſæ genialia prœlia Matres,
Virgineam intactæ Zonam diſcingite Sponſæ,
Intrepidóſque afflate animos: jam nuda marit
Membra Cupidineam fervent intrare palæſtram.
Congrediamur, ait; Paphióque terenda duello
Tempora ne perdat mora longior: invida cedat
Turba, nec optatam toties præcludat arenam.
Quid validos miſcere toros; quid noſtra vetatis
Brachia felici tandem ſe tradere luctæ?
Parce furens animi juvenis; compeſcere robur

Tantiſper, cæcúmque juvat frænare furorem.
Nimirum crudum ſi ad læta cubilia portas
Ventre cibum, incoctâque agitas genitalia cœnâ,
Heu tenue affundes ſemen ; nec idonea pulchrum
Materies fundabit opus. Siſte ergo per horas
Saltem aliquot; dum cocta ſatis, ſtomachóque ſubacta
Pabula, Nectareum ſpargant per viſcera ſuccum.
Dura quidem tibi lex, ſed pulchræ congrua proli.
  Quippe Sophos docuit Naturæ providus ordo,
Qui matutino concreſcunt tempore fœtus,
Pulchriùs effictam membris aſſumere formam.
Hoc ratio ipſa probat. Nam quum nox humida cœlo
Labitur, & dulcem ſpargit per membra ſoporem;
Tum calor è ſummis ſubit interiora, cibóque
Acriùs incumbit, nativáque munia complet.
Robore tum vegeto ventris præmanſa teruntur
Fruſtula, quæ ſpeciem lactentis adepta cremoris
In jecur irrepunt; rutilóque imbuta rubore,
Sanguineo totum perfundunt flumine corpus:
Unde & fœcundos latices genitalia ſugunt,
Queis fervore novo ſpumantia ſemina manant.
Namque inter-textis plexu centuplice venis,
Spiritibúſque iterum mixtis, concoctior humor
Evadit, vitæque capax animíque futuri.
Intempeſta igitur prudens vitare memento
Baſia: ne ſtudio Veneris frangente calorem,
Naturæ turbetur opus; præcépſ-ve libido
Venturo lugenda ferat diſpendia nato.

Quis

Quis neſcit crudo diſtentum nectare quondam
Iudulſiſſe Jovem Junoni; atque indè creatum
Vulcanum turpem, cœlíque ex arce ruendum?
Hic adeo informis vultu, membríſque pudendus,
Ut nec eum mensâ Superi, Palláſque petito
Sit dignata toro; fœdo ſed corpore ſpretum
Juſſerit ad calidum Veneris migrare cubile.
Hæc etiam omnimodis nullo diſcrimine jungi
Sueta viris, talem hunc faſtidit ſæpe maritum;
Connubiíque ſacras gaudens contemnere leges,
Sæpius innumeros admittit ad oſcula mœchos.
Nec ſatis eſt inſtantem operi, atque ingeſta coquentem
Præpropero coïtu non abduxiſſe calorem;
Eſt aliud quod noſſe juvet. *Tu reſpice ſolers,*
Quâ cœli facie, quo ſidere conjugis arctos
Amplexus ſubeas, fœcundáque baſia libes.
Non etenim tanti refert, quo lumine primos
Vagitus infans edat, maternáque rumpat
Vincula, & exiliens utero ſe prodat in auras;
Quanti, quo radio, quibus aſtris, ſemine utroque
Concepto, humana incipiat coaleſcere moles.
Scilicet hiſcenti qui fertilis humor in alveo
Conditur, & calidis fervens congreſſibus hæret,
Sidereos magis influxus, ſupremáque fata
Excipit, & valido cedit molliſſimus aſtro.
Sed quis tanta queat ſummi recludere mundi
Arcana, & pulchras fatorum evolvere leges?
Tu Dea, quæ rutilis celſum caput inſeris Aſtris,

Uranie;

Uranie; cui ſordet humus, cui ſidera tota
Se pandunt, rege cantantem cœleſtia Vatem.
In Pulchro labor eſt; & noſtram gloria Muſam
Pulchra manet, ſi divinas quas condimus Artes,
Numine felici inſpiras, atque ora reſolvis.
  Nimirùm aurato quod fulget fornice cœlum,
Quæque coruſcanti ſcintillant lumine flammæ
Ætheris, haud mera ſunt oculis ſpectacula noſtris.
Non ideo innumeras ſtellas inſperſit Olympo
Omnipotens, ut nos picturâ paſcat inani;
Altera condendi ratio fuit optima mundi.
Nónne vides, ut diverſis ſurgentibus Aſtris,
Æſtúſque, pluviæque, & agentes nubila venti,
Temperie variâ terras, Pontum, Aëra mutent?
Quis neget imbriferas Hyadas? quis Oriona nimbos
Cogentem? viden', ut ferventes Sirius agros
Urat, & irriguos ſitiens exſorbeat amnes?
Quid memorem ſummo coëuntes æthere ſummos
Fatorum auctores? Saturnum falce tremendum,
Sanguineúmq; Jovem, & ſpirantem prœlia Martem?
Horum ſi junctos rabidus Leo colliget ignes,
Heu quot ſubjectas perdent incendia gentes!
Funera quot truculenta dabit furialis Enyo!
Mutatis rerum vicibus ſubverſa fatiſcent
Imperia, atque novi venient ad ſceptra Tyranni.
Talia congreſſu ſimili coëuntia quondam
Sidera, Pompeij movere & Cæſaris iras;
Romáque Theſſalicos fœdavit ſanguine campos.

Et

Et (vatum niſi vana fides) quæ nunc quoque Gallos,
Hiſpanóſque fero committunt Marte ruentes.
Armatóſque adigunt in mutua vulnera Reges,
Hæc eadem ſunt fata Poli: nam ſidera mixta
Saturni, Jovis, & Martis, junxere malignos
Ignes, quà rutilus diſtendit brachia Chiron.
Nec non quæ tetrum diſpergit in inguina virus
Fœda lues, Veneríſque uſus corrumpit amœnos,
Iiſdem ſideribus junctis producta refertur.
Namque ferunt, ipſo quo tempore turpis in orbem
Irrupit labes, contagiáque horrida fudit;
In Cancro, ſidus Martis coiiſſe furentis,
Et qui liventi Saturnus nigricat Aſtro.
Sed quid tantorum refero penetralia Divûm,
Summarúmque vices rerum, cauſáſque retexo?
Expediam, pulchros quæ fingant ſidera natos;
Et quæ nos docuit pulcher Dictator Apollo.
Antiquo fama eſt homines doluiſſe ſub ævo,
Et ſuperos quondam crebris tetigiſſe querelis:
Plurima quòd paſſim fœdis natalibus orta
Corpora, in humanam ferrent opprobria gentem.
Neſcio quo cœli vitio, quo ſemine pleni
Tunc uteri, illepidam fundebant undique prolem:
Tunc rarus decor ornabat ſponsóſque nurúſque
Ergo ut ſorditiem hanc ſummâ deſpexit ab arce
Cœlicolûm Princeps; Divos, Diváſque faventes
Conjugiis, rutilas accerſit ad ætheris ædes.
Advolat ante omnes pictis pavonibus auras

Pronuba

Pronuba Juno ſecans: ſequitur Cythereïa mater
Vecta Cupidineis vaſtum per inane columbis.
Accurris Lenææ Pater: Túque inclyta cultrix
Auricomæ ſegetis; (quis enim ſine numine veſtro
Fortiter uxori incumbat, Venerémque frequentet?)
Concilium magnum complet formoſus Apollo.
Conſedere Dei, atque Deæ. Tum Juppiter alto
Exorſus ſolio, paucis humana recenſet
Tædia; & infames turpi propagine terras.
Dúmq; hæc omnipotens expendit, opémque requirit;
Delius aſſurgens, poſtquam eſt data copia fandi,
Talia voce refert. Hominum malè providus uſus,
O Superi, & celſi damnanda inſcitia mundi,
Illepidos generant pueros, turpéſque puellas.
Atque ut cuncta meo de ſidere ſidera pendent,
Fas mihi ſit cœli pulchras exponere vires,
Nec vulgata loqui. Obliquo quà cingitur æther
Zodiaco, aſtrorum rutilantes cernitis ignes,
Claráque biſſenas referentia ſigna figuras;
Hinc oris fluit omne decus, pulchríque venuſtas
Corporis; hinc etiam vultûs deformis origo.
  Nam dum prolificâ fervent genitalia luctâ,
Si ſimul emerget fugientis corniger Helles
Vector, & ignito in cœlum ſe vellere tollet;
Quæ tunc concipiet, nil pulchri proferet uxor.
Oblongum pueri collum, nec idonea crura;
Incurvúmque caput, defixáque lumina terræ;
Duratæ cutis aſperitas, niveíque capilli,

Corporis

Corporis immani moli jungentur ineptè.
Præcipuè ſi Saturni fax improba tetris
Inficiet radiis ortum, vel Martius ignis;
Quippe abigunt omnes ex omni parte lepores.
Hæc inviſa bonis infauſtáque Sidera natis.
  Nec magis arrident radiantia cornua Tauri;
Aut tranſverſa tuens Oculus violentius Aſtrum,
Pleïadúmque Chorus; pulchro licèt ore ſuperbæ,
Pleïone genitæ, matris pulchra ora referrent,
Nil tamen efformant lepidum; niſi Cynthia noſtrâ
Luce micans, leni radio candentia fingat
Membra, creétque cutem blando lævore coruſcam.
De Tauro quid plura? ſatus ſub Sidere bruto,
Oblongas infans nares, nimiúmque patentes;
Pinguia colla; oculos turpes, & lumine torvos;
Illepidam frontem; rufos per tempora crines;
Nigra ſupercilia, & magno de pectore raucam
Vocem habeat, fœdámque agreſti corpore molem.
  At Geminis decor omnis ineſt, formæque venuſtas.
Hos Helenæ pulchros, concordia pectora, Fratres,
Et puro Ledæ prognatos ſanguine, cœlo
Donavit Pater Omnipotens; voluítque beatam
Innocuo ſemper nexu producere prolem.
Nec tantùm lenes oculos, ridentiáque ora,
Et niveum præſtant per lævia membra colorem;
Sed blandos animi mores, & lumen amœni
Ingenii, placidáſque artes, gratámque loquelam.
Scilicet his Majâ genitus dominatur in aſtris,

Facundáſque ſerit vires; queis gratia mentis
Corporis ingenui molem comitatur honeſtam.
O quàm diſſimiles radios ex æquore ſurgens
Obſcœnus Cancer concepta in ſemina vibrat!
Hic ex immundis fœdè conflatus Aſellis,
Et turpes pandens Chelas, deformia confert
Membra; oculos parvos; tetros nullo ordine dentes;
Pinguis aqualiculi gibbum; graciléſque lacertos;
Atque humili toto contractam corpore molem.
Sed quæ detraxit Nemeææ claviger Heros
Terga feræ, urenti fulgentia in æthere flammâ;
Hæc flavos præbent crines, oculóſque feroces;
Pectora lata; artus longus; proceráque membra.
Ecquid enim humani furialis bellua poſſit
Conferre, Argolicos quæ cùm diſperderet agros,
Herculis indomitâ meruit ſuccumbere clavâ?
Et quamvis ſolium rutilo hoc ſub ſidere dudum
Fata mihi dederint; fauſto vix lumine poſſim
Frangere naturam turpem, rabiémque Leonis.
Hunc ſequitur Virgo, nitidis ſpectabils Aſtris,
Juſtitiæque Aſtræa tenax, quæ, ferrea ſæcla
Inſanúmque ſolum fugiens, ſucceſſit Olympo.
Cernitis eximiam lucem, quâ Spica coruſcat,
Æmula fax Jovis innocui; non purior ignis
Scintillat, radiiſque uteros melioribus implet.
Virginis ergo oriens ſidus fœcunda fovebit
Semina, formoſo influxu; ſpeciéſque decoras,
Laudandóſque habitus, vultúſque inducet amandos.

Nec

Nec minùs oblectant orientis lumina Libræ,
Hîc, Charitum Regina, domum ſedémque locaſti:
Viribus hinc validis, facie pulcherrima fingis
Corpora, formoſos pueros, lepidáſque puellas.
Novi equidem hoc ſigno Sarurni ſidus iniquum
Exaltare ſuum robur; fuſcúmque colorem
Per reliquos artus infeſto lumine ſpargi.
Sed tua præcellit virtus, Cytherea; tuóque
Munere, ſe niveâ profert albedine vultus.
At quis ferre queat, quæ teter ab æquore ſurgens
Scorpius, illepidis deturpat membra figuris?
Ille venenatâ verrens magnum æthera caudâ
Pulchrum odit: parvos oculos, rufóſque capillos
Ingenerat; magnóſque pedes, oblongáque crura.
Has vires ſortitur Orionis interfector
Sordidus, ac putri Telluris pulvere cretus.
Phillyrides verò Chiron, præceptor Achillis,
Quem Divûm pietas pulchro donavit Olympo,
Non ita deformat natos. Nam ſi exerit undis
Aut caput, aut humeros, aut tenſæ ſpicula dextræ,
Conceptus beat, & formoſis influit aſtris:
At ſi poſterior candâ fulgebit equinâ,
Non ita felici turgebunt ſemine matres,
Quis Capri hirſuti torpentia ſidera neſcit?
Hæc horrenda domus Saturni turpia quæque
Conferet, & natos vix ullâ ex parte beabit.
Hinc Phrygius puer exoriens, urnâque benignâ
Fertilis, ad pulchram diſponet ſemina prolem.

Æquorei demum Piſces, quibus humor abundat
Frigidior, caſſæque hærent in corpore vires;
Producent capita exiguia, exiléſque lacertos;
Diſtortam formam, & parvæ compendia molis.
Quid loquar oppoſitis Errantia ſidera flammis,
Lucéque Quadratâ pulchrum corrumpere Olympum?
Quis neſcit Trini radii, & Sextilis amicos
Influxus? ſi præſertim tu, Cœlicolûm Rex,
Túque, Cypri Regina, aſtris fulgebitis æquis;
Proſperáque optatæ dabitis primordia proli.
Nec latet ad lepidam ſobolem conducere vernos
Amplexus; læto quo tempore parturit omnis
Natura, & radiis turget vitalibus Aër.
Sed calor æſtivus, quo fervet torrida bilis,
Multus & in tenues vaneſcit ſpiritus auras,
Effœtæque fluunt vires; vix ſufficit almæ
Progenerandi operæ. Autumni vix tabida confert
Temperies: aut veſanæ inclementia Brumæ.
Ergo imprudentes homines, nimiúmque ſalaces,
Nec fauſtos ſatagunt radios, nec tempora læta
Eligere; ut pulchræ ſobolis fundamina ponant.
Aſſenſere omnes Superi; juſſúque Tonantis,
Sculpta hæc in croceâ divina effata papyro:
Quæ dudum in ſacri penetralibus abdita Pindi,
Nunc mihi ſidereæ panduntur munere Divæ
Uranies, noſtrâ cui nil jucundius arte.
Vos igitur, vos dulce Patris cognoſcere nomen
Qui cupitis, pulchróſque in ſæcula fundere natos,

Con-

Conſpicite attenti, quo tempore, quâve ſub horâ
Quodlibet emergat Sidus; quo lumine tactum
Saturni, Jovis, aut Martis; quos Delius ignes
Torqueat in Venerem, Lunam, Atlantíſve nepotem,
Nec vos hoc ſtudium deterreat; omnia nam ſunt
Perſpicuis tabulis ſignata volumina cœli,
Atque in Ephemerides rectâ ratione relata,
Quæ legere haud pigeat. Sed & horis bis duodenis
Quotidie ætherei vertigo abſolvitur orbis,
Ut quocumque velis ſub Sidere baſia figas.
  Nec ſatis eſt pulchræ quà cœlum congruit Arti
Noſcere, & ad Venerem magis aptum aſſumere tempus.
Sunt alia, ô Sponſi, vobis momenta tenenda.
Ne premite uxores (quidquid prurigo fatiget)
Dum fluit in latebras uteri, multâque pererrat
Menſtruus illuvie, reſerátque cava oſcula ſanguis.
Si faciatis enim, cœnosâ uligine ſemen
Extinctum, forſan coïtu vaneſcet inani;
Nec dabit optatam turpis laſcivia prolem.
Non ſecus ac madidos ſi tritica ſparget in agros
Agricola imprudens; lætas haud cernet ariſtas,
Ruſtica nec flavas cumulabunt horrea meſſes.
Si tamen, humentem qui ſtillat ſanguis in alvum,
Non vetet impuro coëuntia ſemina nexu;
Quàm miſera emerget proles? Elephanticus infans
Naſcetur, fœdæque feret contagia lepræ:
Quippe venenatâ, quâ ſordent menſtrua labe,
Hâc etiam pueri radix vitiata laborat.

Ecquid

Ecquid enim fæce hâc muliebri tetrius uſquam eſt?
Si cadet in vites effuſa ſaburra novellas;
Si teneras fruges, aut inſita germina tinget;
Omnia marceſcent ſubito quaſi fulgure tacta.
Si canis hanc fæcem ſitienti glutiet ore;
Hunc aget inſanum rabies exorta repentè.
Ergo hujus Veneris lutulentas ſpernite, Sponſi,
Illecebras, nitidíſque uteris inſpergite ſemen.
Vos etiam, ô lepidæ uxores, quæ grata virorum
Baſia, confuſis labiis, ulníſque fovetis;
Proh pudor! haud natibus nimium criſſantibus, almam
Perturbate operam. Crebrís ſubſultibus, omnis
Maſcula vis, utero vix connivente, fatiſcet;
Quáque ſubintrarat, refluet diſperditus humor.
Imò & fœcundâ ſi fortè hærebit in alvo,
Motibus immodicis excuſſum ſemen utrimque,
Invalidos fœtus divulſis partibus edet;
Nec veſtri optando gaudebunt robore nati.
Namque ut naturæ penetralia cæca recludam,
Solertéſque oculos ſubeat genitalis imago,
Hæc legite, atque uteri genuinam attendite formam.
Eſt locus in ſpatiis latitans obdominis imi,
Diſtinctus modicâ cavitate, pyríque figura:
Ductilis hunc membrana, rotundæque inſtar alutæ
Efformat; quam Vena duplex, Arteria, Nervus,
Sanguine ſpiritibúſque rigant è corpore toto.
Hunc uteri Fundum vocitant; hunc linea recta
In dextrum lævúmque ſecat! Mas creditur alveo

In dextro; in lævâ coaleſcere Fœmina cellâ
Hàc via per ductum oblongum, quo penis amicè
Stringitur, & calidum ſemen jaculatur in antrum:
Collum uteri Phyſici dixere: Huic intima cervix
Adnata, abſtruſos claudit mirâ arte receſſus:
Dum ruat in Venerem rigidâ tentigine fervens,
Et pulchram meditans valido molimine prolem,
Sponſus aret dulci naturæ vomere campum.
Quippe ad maſculeum ſemen ſe proripit hiſcens
Os uteri, ſuctúque cavam polectat in alvum
Spumantem humorem, & muliebri ſemine miſcet.
Sic ergo in ſeſe cavitas uterina reducta
Subſidit, cogítque arctis amplexibus albam
Sementem, humani fœcunda exordia nati.
Qualia ab ingeſto perſentit gaudia ſucco
Ventriculus, quem dira fames divellit inanem;
Talia concipientem uterum ſolatia replent.
Unde agiles nimiùm, motantéſque inguina coxæ,
Delicias omnes effusáque ſemina perdunt.

Nec mihi diſpliceat quorumdam hîc vota Parentum
Rite ſecundare, & gratam præſcribere normam,
Quâ generare mares valeant; nam maſcula proles,
Stemmata, magnorúmque decus ſuſtentat Avorum.
Nec deſunt, qui fœmineam ſermone maligno
Dedecorent ſobolem: pravo quaſi devia lapſu,
Fruſtratâque operâ, Natura invita puellas
Gignat, & in terras effundat amabile monſtrum.
Sed ſtolidum errorem melior ſententia vicit,

Et

Et blandum merito ſexum donavit honore.
Nos tamen interea maribus præcepta ferendis
Scribamus; dudum ut vigeant ingentia Regum
Nomina, Patritiíque altâ de gente nepotes.
  Inprimis vegetos, vivóque calore micantes
Exultare mares, rectâ ratione periti
Agnovere Sophi. Suadent hoc firma virorum
Robora, maſculeóque acres ſub pectore vires:
Impavidíque animi vigor; & civilibus aptum
Ingenium; & longo mens indefeſſa labore.
Ergo ut maſculeam certo conamine prolem
Conjugia inſtaurent; calido ſibi ſanguine venas
Impleri, appoſitâ victûs ratione laborent.
Ecquis enim in vaſis ſemen genitale ſubactum
Sanguineo ex humore neget, quùm plurimus album
Spiritus inducat, ſpumâ candente, colorem?
Unde dapes calido humentíque per intima ſucco
Confertas juvet ingerere; ex his viſcera ut almos
Continuò eliciant ad maſcula ſemina rores.
Quin etiam aëreis turgere alimenta neceſſe eſt
Spiritibus, dulcíque uteros gaudere vapore,
Si tibi mens ſtabiles maribus firmare Penates.
  Hîc tales numerare cibos me recta docendi
Lex adigat, niſi fœcundis hos prodiga paſſim
Natura uberibus, dextrâque effundat apertâ.
Sufficiat geniale ad opus celebrare Lyæi
Munera lætitiámque Dei. Nam vitis amicos,
Maſculeam ad prolem, præbet jucunda liquores;

Præ-

Præcipuè quæ Nectareis Burgunda racemis
Luxuriat; vel quæ Campanis turget in oris;
Aïſióſque hilarat pretioſo palmite colles.
Vos ideo, ô lepidæ uxores, queis maſcula cordi
Progenies, modici rutilantia pocula Bacchi
Ne pudeat miſcere cibis; lætíſque maritis,
Concordi, optatam ad ſobolem, vos jungere victu.
Quin & temperiem vobis Natura tepentem
Indidit humentéſque uteros, quos fervor Iacchi
Exacuat, maribúſque aptam contemperet alvum.
Nec tamen immodico vos indulgere juvabit
Lenæo: nimiis vini ſtagnantia rivis
Viſcera, nativum minuunt veſana calorem,
Nec dare ſufficiunt maribus primordia firmis.
Nónne mero Liber nimio prolutus, amicam
Dum ſtrinxit Venerem, temulentáque baſia fixit,
Obſcœnam genuit crudo de ſemine natam,
Nodoſis pedibus, pallentíque ore Podagram?
Uſque adeo moderata regat Prudentia potus.
Nec tantùm Patrem Bromium; ſed & oſcula Matris
Idaliæ modico ore petant, quos maſculus Hæres
Tangit, & ingenui cognomen nobile Nati.
Nimirum amplexus crebri nativa caloris
Munia corrumpunt; aqueóque ſeroſa liquore
Semina, fœmineæ reddunt accommoda Proli.
Ergo ubi rara Venus ſubigendis tempora ſuccis
Æqua dedit, licuitqúe penum cumulare calentem
Prolifici humoris: mox ſidera maſcula læti

Vir muliérque notent, calidis coeántque ſub Aſtris:
Qualia ſunt Aries, Gemini, fulvíque Leonis
Sidus, & Æthereæ rutilantia lumina Libræ,
Chironíſque micans fulgor radiantis, & Urnæ.
Errantes etiam ſtellas cœleſtis Alumni
Vranies aptas maribus novere creandis,
Saturnum, calidúmque Jovem, Martémque ferocem:
Téque, ô jucundæ lucis dator, Auree Phœbe,
Quo cuncta expanſo ſpirant viventia mundo.
Unde ubi maſculeo in ſigno fulgebit Eous
Juppiter, aut rutilo fœcundus lumine Titan;
Exercete operam dulcem, Cypriúmque laborem.
Matutina ſolent etiam producere gratos
Baſia læta mares: longâ nam cocta quiete
Semina, robuſtis ponunt fundamina natis.
Nec ſatis eſt utero calido excepiſſe feracem
Sementem; Eſt aliud ſoboles quo maſcula ſurgat.
Seminei ſimul ut rores ab utroque Parente
Decidui, in blandos uteri ſubiere receſſus;
Protinus in dextrum latus inclinata recumbat
Alma uxor: dextro ſed enim concepta ſub Alveo
Semina, maſculeam formabunt fervida prolem.
Quis neſcit lævis dextras præcellere partes,
Confertóque vigens corpus refovere calore,
Unde Mares perhibent dextris de partibus ortos?
Imò & Naturam quos Arte juvare parentem
Cura tenet, ſtricto lævum conſtringere nodo
Teſticulum ſatagunt; dextro ut de flumine totum

Semen

Semen eat, nec ſirmo operi fons lævus inundet.
Sic ubi robuſtos operoſa ad aratra juvencos,
Atque aptanda jugo colla optavere Bubulci;
Florentes annis Tauros, lævíſque revinctos
Teſtibus, in pulchras incendunt rite juvencas.
Tanta mares paſſim gignendi cura fatigat!

Quid pronum hîc laudare viri, uxoríſq; ſupinum
Concubitum juvet? horrendas quid pandere cauſas
Informis molæ? quid monſtra? quid Hermaphroditos?
Omnia jam vulgata. Sed & mihi caſta Camœna
Ora verecundo monſtrans ſuffuſa pudore,
Obſtrepit, & leviter vulſas admurmurat aures.
Laſcivum calamum ſiſte, inquit; honeſtáque verba
Ingenuam condant caſtis ſermonibus Artem.
Feſcennina pudent Muſas; & cœlibe vate
Digna parum, Paphiis ſunt admiſcenda choræis.
Obſequor; & Cypriæ reticens myſteria tedæ
Jam coaleſcentes accingar dicere fætus.

CALLIPÆDIÆ
LIBER TERTIUS.

ERGO ubi conceptûs certiſſima ſigna recentis
Elucent, ut qui dulcis genitalia tentat
Horror; & admiſſum ſemen teſtata voluptas;
Oſqúe uteri penitus clauſum; menſéſque retenti;
Híncque redundanti turgentes ſanguine mammæ:
Protinus ut pulchri concreſcant membra puelli,
Curam adhibete Nurus. Prægnantum incuria germen
Corrumpit plerumque, obtortáque corpora reddit.
Sed quia ſe noſtræ cœpit jam prodere menti
Natura, & lepidos placuit penetrare receſſus;
Dicamus, quî fœta uxor ſe tempore primo
Conceptûs geret, ut pulchra incrementa capeſſant,
Qui bene commixto coaleſcunt ſemine fœtus.
  Vos modò, Pierides, caſtiſſima Numina, Muſæ,
Parcite, ſi Veneris repetitum pagina nomen
Crebra ſonet, veſtráſque iterùm perducat ad aures.
Ampliùs huic nullam laudem dabo; peſtis acerba

Prægnantum Venus eſt, pulchrúmq; opus improba fædat.
Namque Cupidineo mulier ſi pruriet œſtro,
Conceptúmque novo turbabit ſemine ſemen;
Fortè ſuper fœtans, conniventíſque recluſo
Ore uteri, malè concretam ſuper ingeret offam.
Aut motis, coïtu nimio, haud impune, pudendis,
Vix cœptum crudo fœtum deponet abortu.
Ceu quum Vere novo, Ceraſuntis fertilis arbos
Parturiit flores, rubri primordia fructûs;
Pulchráque Virgineis promiſit fercula menſis:
Hujus ſi teneros agreſtis dextera ramos
Concutiet motu nocuo; ſpem diruet omnem
Æſtivæ Pomonæ, & primula munera perdet.
Concubitus igitur crebros quos fœta frequentat,
Quis non damnabit? quum nec laſciva capella,
Obſcœnæque lupæ ſubeant hircóſque lupóſque,
Dum gravidos geſtant accepto ſemine ventres.
Sed locus hic, cœptíque operis ſubjecta requirit
Materies, ut pregnanti quis victus alendæ
Sit melior, pulchræque canam præcepta diætæ.
At quoniam docti hæc paſſim ſcripſere medentes,
Nunc mihi præcipuum labor eſt attingere Punctum.
Ut primùm humanâ commixtum ebullit in alvo,
Æternóque animo fundat pulchra atria ſemen;
Tu ſatage, ô Prægnans, ne triſtibus anxia curis,
Atra melancholicæ offundas phantaſmata menti.
Nec turpes oculis facies, aut ſordida monſtra
Objicias; ſimulacra tibi obverſentur ubique

Formoſa,

Formoſa, & lætos ſemper recreantia viſus.
Namque ubi fervet opus Naturæ, ſpiritus alto
De cerebro affuſus, calidâ ſe miſcet in alvo
Prolifico humori, partéſque hunc verſat in omnes;
Quáſque gerit ſpecies invicto robore cudit:
Unde novam ſequitur ſubjecta potentia legem,
Formatríxque typo nonnunquam cedit iniquo.
Sic ubi, triticeâ in mactrâ, diluta tepenti
Flumine, fermentóque acri prægnantia turgent
Farra, tumétque calens ferventis maſſa farinæ:
Si manus adveniat piſtoris, cruſtula fingit
Omnimoda, & libi genus omne, omníſque figuræ.
Sic quoque femíneam verſant phantaſmata molem.
Nec ſolùm hæc ſero ſunt obſervata ſub ævo;
Aut veteres latuere Sophos. Nam quis tua neſcit
Semiferis horrenda toris natalia, Chiron?
Oceani proles, pulcherrima Phillyra quondam
Saturni pectus rapido inflammarat amore;
Utqúe ſenex tantæ impatiens incendia flammæ
Ferre diu haud poterat: teneræ inſidiatur, amantis
More Dei; & lepidæ molitur ſtupra puellæ.
Fortè in natali ludebat littore Nympha
Nereïdum comitata choro: quum Falcifer ardens
Hanc rapit, & nemorum latebroſa in devia ducit.
O quantos gemitus! quantą ô ſuſpiria fundit
Phillyra, dum raptum ſibi virginitatis honorem
Sentit, & hirſuti fœtentia baſia Divi!
Hanc mater Cybele cœlo exaudivit ab alto,

Laſci-

Laſcivúmque olidi ſcelus indignata mariti,
In medium irrumpit; violatáque fœdera lecti
Ulta, voluptates & adultera gaudia turbat.
Hanc adventantem ut vidit Saturnus, equinâ
Ocyus indutus ſpecie, ſe ſubripit iræ
Zelopytæ uxoris, ſylvâque reconditur atrâ;
Dum gemit arboreâ deſerta puella ſub umbrâ
Virgineum florem excuſſum, labémque pudoris.
Nec tamen interea ſenis inſinuata ſalacis
Semina, pulchrum uterum formoſâ prole bearunt:
Sed poſtquam noni accedunt faſtidia menſis,
Maturúmque uterus geſtit deponere fœtum;
(Horreſco referens) caudâ ſe prodit equinâ
Semiferus, dorsóque & cruribus hiſpidus infans.
Quis memorare queat, quos pulchra puerpera fletus
Fudit, inhumani partûs opprobria lugens?
Vos, ô cærulei mitiſſima Numina ponti
Nereïdes, querulæ miſeratæ damna Sororis,
Dicite, quæ veſtros lacrymarum copia fluctus
Turbavit? quo planctu imæ gemuere cavernæ?
Me-ne (ait) immeritam ſtupro violavit iniquo
Antiquus Divûm Pater, ut mea viſcera fundant
Prodigia obſcœnæ prolis, monſtrumqúe pudendum?
Quin potiùs, Lucina, tuo exanimata furore
Occubui, & dirus properavit funera partus!
Non adeo inviſum Superis caput Aſtra malignis
Obruerent radiis, pejoráque fata pararent.
Dixit: & immodicis animíque & corporis ægræ

Tor-

Torminibus, mediis languens vox faucibus hæſit;
Et gelidis maduere udi ſudoribus artus.
Hanc ubi deficientem animo pia turba Sororum
Cernit, opem medicam ſubitò parat; atque liquore
Cardiaco actutum dilutam porrigit Ambram,
Quam Pater Oceanus divino promit ab alveo,
Ut fugientem animam recreato in pectore ſiſtat.
Utque novas ſenſit vires, lucémque reductam
Nympha gemens; cœpit mœſtas iterare querelas,
Tartareáſque domos Stygiámque optare paludem:
Dum levis obrepit ſomnus, qui feſſa benignâ
Membra levat requie, & cerebro phantaſmata læta
Obtendens, variâ demulcet imagine mentem.

Tunc ſe ſopitæ Nymphæ dedit altera Nympha
Conſpicuam, variis rerum celeberrima formis,
Phantaſia, inſtabilis vultu; nunc mole puſilla,
Nunc ingens; nunc ſplendenti candore coruſca,
Nunc atris obſcura genis: exinde colore
Diverſo exultans, diversíſque inde figuris.
Hanc rerum innumeræ ſpecies; hanc ordine nullo
Circumſtant, ſimulacra modis volitantia miris.
Sed lepido tandem ore nitens, hâc voce jacentem
Aggreditur, ſomníque leves intercipit uſus.

Parce genas lacerare, tui cauſa ipſa doloris
Phillyra; quæ crebâ Saturnum mente revolvens
Acris equi formâ indutum hinnitúque ferocem,
Hoc corrupiſti fœdo phantaſmate prolem.
Namque ego, quæ ſpecies humanis mentibus omnes
Offero,

Offero, & internum moveo per ſingula ſenſum;
Te quoties vidi recolentem hirſuta ferini
Membra Dei: quum te ſtupratam liquit opaco
In nemore, uxoríſque procacia jurgia fugit!
Hæc fera quadrupedis ſpecies, hæc turpis imago
Uſque tuo obverſans animo, calidíſque recepta
Spiritibus, pulchrúmque uteri bacchata per antrum,
Humano dorſum capiti conjunxit equinum.
At tibi prægnanti ſi mens non læva fuiſſet,
Nec me tam fœdam toties tibi pingere formam
Juſſiſſes; tua divino de ſemine proles
Incorrupta foret, nec turpi mixta figurâ.
Ut tamen ægroto quædam ſolatia cordi
Ferre queam, triſtémque animi ſedare dolorem;
Accipe, Phillyridem quæ ſors manet optima natum.
(Credere nec mihi te pigeat; nam conſcia fati
Sæpe fui, nec ſemper inania ſomnia fingo.)
Ille tuo exiliens utero qui prodiit infans,
Quum pueri & juvenis crudos ſuperaverit annos,
Maturúmque virum prudens effecerit ætas;
Nil ſapiet vulgare: animo ſuper æthera vectus,
Omnia pervadet magni penetralia mundi.
Abdita non illum Naturæ arcana latebunt:
Herbarum vires, rapidíque volumina cœli
Callebit; nec mentis opus ſtudiúmque ſagacis
Ingenii, imminuent villoſi tergora dorſi.
Ipſa quoque, æterno Nerei de ſemine creta,
Pulchra Thetis, natum ipſa tuo concedet alendum

Chironi, ſobolíque tuæ ſubmittet Achillem.
  Hæc fata, in tenues evanuit ocyus auras
Phantanſia; & vigilem fugiunt phantaſmata Nympham.
  Hoc ſomno erectas vires & gaudia ſentit
Phillyra, veſanáſque levant inſomnia curas:
Quæ dum mente agitat, verſátque examine crebro,
Reddita lux oculis tandem, & ſolatia cordi.
Sed quoniam tam ſæva tulit ſibi tædia fœdi
Objecti ſpecies; poſthac nec grandia Cete,
Nec turpes magno nantes in gurgite Phocas,
Cæruleos nec Delphinas, nec te quoque, Proteu,
Cernere dignata eſt, nec vos Tritonia Proles:
Aſſiduis ſed Nereidum permixta choreis,
Nil niſi formoſos reſpexit provida vultus.
  Vos ergo, ô gravidæ! ſi mens eſt edere natos
Corporis egregii, ſolertem impendite curam,
Ut ſemper ſubeant oculos pulchra omnia veſtros.
Si puer in votis lepidus: formoſus Apollo
Formosâ veſtros delectet imagine viſus;
Aut qui infelicem Corydona urebat Alexis.
Si magis arridet præſtanti fœmina formâ:
Conſpicite aut Venerem, qualem Titianus amœnâ
Depinxit tabulâ; aut Danaën pulchro ore nitentem,
Dum pluvio hanc implet Genialis Juppiter auro.
  Si tamen & noſtri decus haud ignobile ſæcli
Suſpicere eſt animus; pulchræ obverſetur imago
Phyllidis, in noſtros qualis fuit obvia ſenſus,
Dum nos veſano quondam torrebat Amore.

O quàm conſpicuâ fulgebat mira juventâ!
Quæ roſeo ore magis? niveâ quæ fronte puella
Candidior? quæ grata magis ſe corpore toto
Exhibuit moles? & amandos fuſa per artus
Blanda Charis, ſpiránſq; omnis per membra Cupido?
Verùm ô humanæ nimia inconſtantia ſortis!
Floridus hic periiſſe decor jam cœpit, & ævi
Conditio infelix lapſos deſiderat annos:
Jam rugæ ſubeunt; jam dens obſcurus hiulco
Ore patet, raróque albeſcens area crine.
Atque adeo noſtras quæ quondam flamma medullas
Paſcebat, nunc extincto fervore quieſcit.
Nunc ſævos Phyllis mutata trucidat Amores;
Et quæ pulchra malum dederat, dat fœda medelam.
Hanc ideo, ut diverſam hodie ſe monſtrat ab illâ
Quæ fuit, effugite ô fœtæ; ne turpis inurat
Effigies turpem concepto in ſemine formam.
Nec me hîc prætereat Charicleæ candidus ortus,
Et nivea Æthiopi facies contraria matri.
Nam dum admiſſum utero ſemen Perſina fovebat,
Andromedes tabulam candenti fronte decoram
Acriùs inſpectans, ſimulacra albentia traxit:
Unde à maternâ nigredine degener orta
Filia, quot caſus, terrâ jactata maríque:
Quot ſubiit ſævæ repetita pericula mortis!
Donec nudorum antiſtes tunc fortè Sophorum
Siſimithres, miſeræ recluſit fata puellæ,
Atque albi cauſam vultûs detexit Hydaſpi.

Sed quoniam, ô calidæ Meroës venerande Sacerdos,
Quæ ſimulacra refers patrium mutaſſe colorem
Virginis, haud aperis, quo robore prædita, tanto
Suffecere operi; liceat mihi mente ſagaci
Quærere, quo Natura modo hæc miracula præſtet.
  Nec mihi ſufficiant Stagiritæ dogmata, vanâ
Decantata ſcholâ, majoríſque indiga lucis.
Aſt hortis, Epicure, tuis, unde abdita rerum
Principia educam, fas ſit ſuccedere, noſtro
GASSENDO monſtrante viam: quo doctior alter
Nec melior quiſquam, Naturæ arcana latentis
Eruere, & cæcas potis eſt reſerare latebras.
  In primis magno in mundo aſpectablile quidquid,
Oppoſitóſque ferit ſenſus, corpuſcula quædam,
Subtiles tanquam exuvias, hinc inde fluore
Continuo, circumfuſas diſpergit in auras;
Atque hæc cunctarum rerum ſimulacra vocantur:
Quæ ſimul impigris pennis, motúque volucri
Prædita, vel minimos gaudent penetrare meatus,
Implicitíſque atomis ſenſoria quæque pererrant.
Né ve hîc, aſſiduis credas effluxibus, ipſam
Corporei objecti molem debere minorem
Agnoſci demùm, magnáque ex parte fluentem.
Namque hæ pertenues cùm deripiuntur abundè
Bracteolæ, ſubeunt aliæ, levitérque ſubintrant;
Unde novo acceſſu cita compenſatio fiat.
Imò has conciſas adeo exiléſque putabis
Effigies rerum, ut quæ defluxere per annos

Centenos, ſimul aggeſtæ vix lumina tangant;
Nec poſſint vel araneoli contexere ſtamen.
Nec magis ipſarum motum inficiere volucrem:
Namque leves Solis radios, fluxúmque perennem
Lucis, & ætherei prævertunt ſidera mundi:
Uſque adeo rapidis alis ſimulacra feruntur!
Ipſa quidem è rebus quæ ſunt derepta venuſtis,
Leniter afficiunt oculos, ſenſúmque titillant:
Quippe ſuo lævore placent; globulíſque rotundè
Contextis pupillam aditu ſolantur amico,
Irrepúntque poris quibus intertexta pateſcit.
Mox animæ ipſius ſubſtantia convenienti
Idolo exultans, calidi penetralia cordis
Lætitiâ ſuavi diſtendit; & ipſa refundens
Jucundæ ſimulacra rei, per mollia ſpargit
Viſcera, maternâque agitat glomerata ſub alvo:
Queis dum formatrix concepto in ſemine fervens
Afficitur Natura, novâ mox concita normâ,
Pulchrum texit opus, pulchræque ad imaginis inſtar.
Ad ſi de turpi erumpent idola figurâ,
Aſperitate ferâ fodient, oculóſque, animúmque
Et, quaſi ſpicululis infeſto ſtamine junctis,
Invadent triſtes ſenſus mentémque laceſſent.
Unde atrox odium mox ſurget, & anxius horror,
Quo contracta gement præcordia, fœdáque trudent
In latebras uteri fœdâ ſimulacra figurâ.
Tunc ideo teneræ prolis qui membra Prometheus
Finget, ad obſcœnam ſpeciem ſua diriget orſa:

Infa-

Infamíque typo turpis ſignabitur infans.
Nec ſtupeas incluſum utero, matre ocyus ipsâ,
Mutari facilem varia ad ſignacula fœtum.
Nimirum ut mollis qui pendet ab arbore fructus,
Grandinibus diris & ſævi flatibus Euri
Obſiſtit leviùs, gavioráque damna capeſſit,
Quàm qui lignoſo dureſcit robore caudex:
Sic, uteri appendix, fœtus liquentia membra
Sortitur, minimis etiam magis obvia noxis.
Ergo per integrum geſtandi tempus, imago
Mente vigens, animæ formantis dirigit almam
Sæpe operam, lepidæque evadit regula formæ.
Viſcera prima quidem, & totius ſtamina molis
Corporeæ, Natura inſternit tempore primo.
Dein reliquos artus affuſo ſanguine fingit;
Carneáque adjunctis infercit membra lacertis;
Extendítque cutem, frontémque exornat & ora.
Unde nihil volvas animo; nil lumine fixo
Inſpectes, quod fortè notis deturpet iniquis
Pulchrum opus, & recto Naturam è tramite flectat.
Nec ſatis eſt animum lepidis mulcere figuris.
Corporis immodicos motus, crebráſque choreas
Vitet fœta uxor: præſertim tempore primo
Conceptûs; necnon ubi matureſcere fœtum
Poſtremi oſtendunt menſes, partúmque minantur.
Quippe ligaminibus teneris per tempus utrumque
Conniventi utero fœtus ſuſpenſus adhæret;
Unde abigat crudum, torto vel corpore turpem

Sæva

Sæva parens; rapidis ſi vibret ſaltibus artus,
Concutiátque levi membra exilientia plantâ.
Utque ſeni Coo, violento exercita ſaltu,
Pſaltria, concretæ geniture exordia prima
Prodidit; & cœptæ corrupit ſtamina prolis:
Sic etiam octavo quæ Bacchanalia ſaltat
Menſe nurus, grandis diſrumpit vincula fœtûs
Præproperè; & fuſo exundantis ſanguinis amne,
Difficili partu, pœnas pro crimine pendit.
Ergo quis inſanis celebrantes Orgia ludis
Prægnantes ferat? &, ſtreperâ invitante palæſtrâ,
Alterno implicitas per mutua brachia nexu?
Quum tamen hîc ſolitis vos interdico choreis
O gravidæ, haud me ideo nimiam laudare quietem
Credatis; nec vos teneat contrarius error.
In cunctis ſervare modum ratio optima ſuadet.
Nec fœtam lento juvet indulgere veterno;
Ducere vel reſidem male-ſana per otia vitam.
Deſidiâ humorum denſam cumulante ſaburram
Nativus calor obruitur; nec ſe Enthea virtus
Formatrix, recto fœtus lineamine poſſit
Exerere, & pulchras membrorum effingere formas.
Sed gravidas modicus recreat labor; atque latentis
Dum ſenſim reſerat ſpiracula cæca caloris,
Expurgat craſsâ oppreſſas fuligine partes:
Unde infans, uteri tenebroſo carcere clauſus,
Tranſpiret meliùs, vegeto & ſe robore firmet;
Quo novus immenſum civis prorumpat in orbem.

Quæ

Quæ tamen hîc exercitia, aut quod noſtra laboris
Ars genus edoceat prægnantem? an vecta patenti
Curriculo, aut placidis læta ad viridaria bigis
Leni corda levet motu, atque exerceat artus?
Præcipuè umbroſis ulmorum ubi ſemita frondet
Ordinibus, virides quà lambit Sequana ripas,
Pariſiúmque ſolum vitreïs interfluit undis.
O quanta exultans percellunt gaudia pectus,
Dum ſeſe innumeris volitantes axibus addunt
In ſpatia, & crebris remeant loca conſita gyris
Intonſi juvenes, pulchrâque ætate puellæ!
Hic curru aurato, rapidíſque invectus Ephebus
Gaudet equis; flavo per eburnea colla capillo
Conſpicuus, chlamydem clavis auróque micantem
Ventilat, & varias radianti vertice plumas,
Eximius rutilo quas pileus explicat orbe.
Parte aliâ, fronte albenti, lepidíſque comarum
Cincinnis, tremulis oculis, ſtrictíſque mamillis
Præterit innuptâ Virgo ſpectanda juventâ,
Hinc atq; inde patens. Hanc pronus Amator adorat.
Illa ſalutantem blandis reſalutat ocellis;
Et gratum nutu grato ſolatur Amantem.

Hæc ſanè jucunda hilarent ſpectacula noſtram
Prægnantem, dulcíque agitent præcordia ſenſu.
Aſt ubi, finitis excurſibus, appetit omnis
Rheda domum, fervétque rotis creberrimus axis;
Tunc rapido in patulam celer irrupit impete portam
Auriga: hic laxis alium premit acer habenis;

Alter & effuſo certat prævertere curſu.
Hinc fragor; hinc, volucrum radiis perſæpe rotarum
Effractis, aperit reſupino crure Puella
Quas ſinus abſcondit caſto velamine partes.
Quódque eheu! vidiſſe piget, dejecta cruento
Nonnunquam caſu, mollis virguncula, læſam
Ingemit, aut frontem, aut oculos, maláſq; rubentes.
Hæc ideo vitet curſus certamina Prægnans;
Et tardo cedens greſſu Portam ultima claudat.
Namque & colliſæ quamvis innoxia rhedæ
Sors faveat; tamen & gravidam metus ipſe cadendi
Conturbans, diro forſan vexabit abortu.
Quippe coït gelidâ preſſus formidine ſanguis
Confertim; cordíſque cavos uteríque receſſus
Obruit affluxu ſubito, jugulátque calorem.
Unde ego maluerim crebro reſonantia curru
Vitari ſpatia; ut cultos ſecedat in hortos,
Et pedibus ſpatiata ſuis per amœna vireta,
Hauriat optandas Zephyris mulcentibus auras,
Quæ facere eximiâ cupiet ſe prole Parentem.
Quum verò hiberni penetralia frigora Soles
Inducent, triſti glacie, caníſque pruinis;
Arboribúſque comas vellent, & gramina campis;
Quò tandem te fœta geres? An clauſa tepenti
Sub thalamo, Boream falles brumámque rigentem,
Nec te uſquam gelidi premet inclementia cœli?
Atria operta quidem ventíſque impervia multùm
Tecta probem, quibus immites traducere menſes,

Et validum poſſis felix educere fœtum.
Sed quoniam modico nonnunquam Aquilone ſerena
Ridet hyems, nitidáſque brevis ſol exhibet horas;
Has læta impendas civiliter in viſendis
Matronis nuribúſque, tibi quas proxima jungunt
Compita, confiníque placens vicinia tecto.
Hîc dulces miſcere jocos; hîc ſeria ludis
Diluere, & tumidi liceat faſtidia ventris.

Quódque piæ dudum tibi præcepiſſe fidelis
Debueram: In primis ſummum venerare Parentem;
Qui te fœcundo vivum de ſemine fœtum
Concepiſſe dedit, partûſque ad tempora ſervat.
Hujus adi ſacra templa frequens: ſempérq; colendas
Muneribus cumula, ſanctis & honoribus Aras:
Ut demum fauſto proles tua Numine fuſa,
Tranſigat innocuum laudandis moribus ævum;
Et mentem patrio cœleſtem reddat Olympo.

Atque has à primo conceptûs momine leges
Obſerves; donec, valido conamine, fœtus
Erumpens utero, materna repagula pulſet.

Imò & maturi quum jam jam tempora partûs
Inſtabunt, lucíſque Puer majoris egenus
Geſtiet æthereas tandem ſe prodere in auras;
Tunc quoque provideas ne proruat impete pravo,
Difficilíque ortu corpus diſtorqueat infans.
Cerea, ſi neſcis, hoc tempore, membra miſelli
In quamcumque (nefas!) formam ducuntur ineptè;
Et ſæpe illepidam ſortitur Agrippa figuram.

Atque

Atque ideo extentis pedibus ſi prodeat; aut ſi
Hanc illámve manum muliebria ad oſtia tendat;
Vel clune obverſo natales tentet acerbos;
Mox fida obſtetrix, habilis molimine dextræ,
Corrigat errantem motum, in meliúſque reducat:
Dum capite educto primum, reliquóque ſequente
Corpore, ſe facili promat conamine Natus.
Unicus hic etenim cunctis naſcentibus aptus
Eſt modus; ut primo in cœlum ſe vertice prodant.
  Nec ſatis eſt egreſſu agili emerſiſſe venuſtum
Infantem; ni legitimi nova pignora lecti,
Appoſitísve tener cunis foveatur alumnus.
Præcipuè caveas ne duro faſcia gyro
Mollia membra premat; neve ipſo a limine vitæ
Inducat tortam Nutrix improvida formam.
Nónne incompoſito quæ ſæpe volumine cingunt
Vincula ſtricta latus Pueri, coſtáſque tenellas,
Gibboſum faciunt deformi tubere dorſum;
Elatáſque humeris alas ſurgentibus addunt?
  Quin etiam multi vexant puerilia morbi
Corpora, queis lenem properes adhibere medelam;
Si cupis innatum prolis ſervare decorem.
Imprimis quæ materni exanthemata gignit
Sanguinis illuvies; papuláſque inhoneſta minantes
Ulcera, ſolerti Pæon medicabitur arte.
Ridentes ne fortè oculos, nasúmque, genáſque,
Lævorémque cutis corrumpat fœda cicatrix.
Heu! quot Virgineos immani ſtrage lepores

Perdidit hæc immunda lues! quot lilia fronti
Chloridis eripuit, teneróſque occidit amores!
Ipſa Deæ quondam ſimilis Galatæa, priuſquam
Sordida ſenſiſſet tetræ contagia labis,
Nunc tanti morbi feritate, cavata genarum
Marmora, & acre malum luget ſtillantis ocelli.
Ipſe quoque innumeræ quem deperiere puellæ,
Deliciæque ſui ſexûs formoſus Amyntas;
Poſtquam dira luis fœdarunt ſtigmata vultum;
A cunctâ paſſim jam faſtiditur Amante.
Quum tamen hæc ad Pæonios pia cura Nepotes
Spectet, & exilis ſuperet molimina Vatis,
Haud ego ſuſtineam tanto ſuccurrere morbo.
Præterea noſtræ quis cœpta audacia Muſæ
Ferre queat; ſi quæ docto modulamine, Magne
SAMMARTHANE, tuâ legimus cantata Camœnâ,
Hæc eadem illepido vanus clangore recantem?
Vos potiùs teneræ ætatis pernoſcere peſtes
Quos juvat, & pulchro labem hanc avertere ab ore,
Vos SAMMARTHANI divina Poëmata crebrâ
Pertractate manu, doctáſque evolvite chartas.
Hic totas Heliconis aquas; hic flumina Pindi
Tota hauſit; nullam non novit Apollinis Artem.
Interea noſtræ ſuccedant otia pennæ;
Et quæ Pegaſeo in cœlum ſubvecta volatu
Abjectam deſpexit humum, nunc præpete lapſu
Subſidens, placidâ demum requieſcat in umbrâ.
Fors erit ut quondam redeuntem pectora Phœbum

Ad-

Admittant, pulchræque canam conſortia Mentis,
Atque incorruptos formoſo in corpore mores.
Ecquis enim craſſâ errorum caligine cæcum,
Aut fœdum vitiis Animum, ſpecioſa cientem
Membra ferat? vel cœleſti de culmine fuſam
Miſceat obſcœnæ Telluris ſordibus auram?
Sed tantæ rationis opus, conamina tanta,
Ferrea vix noſtri mereat veſania ſæcli:
Quippe hodie virtutis amor ſtudiúmque pudoris
Exulat, apparétque ullus vix cultor honeſti;
Ex quo ad perpetui furialia munera Martis,
Noſtra peregrinos adſcivit Gallia mores.
Vos adeo (Indigetes Divi) quos Celticus orbis
Tangit, & Hectoreæ deſciſcens gloria gentis;
Vos triſtes mutate vices; Regníque fatiſcens
Suſtentate decus, dulcémque inducite Pacem:
Ut tandem innocuas recolamus Palladis artes,
Inqúe ſuum redeat pretium Parnaſſia Laurus.

CALLIPÆDIÆ
LIBER QUARTUS.

QUÆ tamen ignavam pertentat barbara mentem
Segnities? noſtráſne diu obmuteſcere Muſas,
Aut patiar lento Phœbum torpere veterno?
Hactenus egregios vultus, artúſque venuſtos
Diximus. Hîc ſupereſt operis pars optima noſtri.
Hîc Hominis cœleſte decus, Mentíſque canenda
Nobilitas, pulchróque micans in corpore Virtus.
Tu Dea, quam ſummo de vertice Juppiter almus
Fudit, & illæſum juſſit ſervare pudorem;
Ingenuáſque artes colere, & probitatis honeſtos
Exercere modos, ſanctóſque inducere mores,
Caſta Minerva fave. Non hîc Cytherea profanas
Miſcebit flammas, olidæque incendia tedæ:
Sidereum ſpirant præcordia pura furorem.
Ex quo è dilutâ finxit tellure Prometheus
Os ſublime hominis, cæleſtemq; indidit ignem,

Quo

Quo mens æthereïs ſplenderet congener Aſtris;
Sæpius inſanæ ſuperos tetigere querelæ.
Divinâ licèt effigie, æternóque decore
Conſpicuus, ſua ſtultus homo primordia damnat;
Incuſátque Deos, diríſque innoxia verbis
Fata onerat; quòd maternâ ejiciatur ab alvo
Nudus, ad humanæ miſeranda incommoda Sortis.
  Quid me (ait) avulſam Phœbeo è ſidere flammam
Accepiſſe juvat, calidóque in corde vigorem
Æthereum, & divæ lumen ſpectabile Mentis,
Si cunctarum orior rerum indigus, inſcitus, infans?
In duram projectus humum velamine nullo?
Et miſerum querulis ſignans vagitibus ortum?
Ipſa etiam obſcœnum pronâ ſpectantia fronte
Bruta ſolum, tamen ingenito ſibi robore gaudent;
Adnatíſque armis lædentia quæque repellunt.
Quadrupedes ſervant denſæ per corpora ſetæ,
Cornuáque, & duram quæ roborat ungula calcem.
Tutantur Piſces ſquammæ; aëriáſque Volucres
Remigium alarum, & mordacis acumina roſtri.
Necnon omnigenas facili paſſim ubere nutrit
Terra feras; cùm me interea, ceu dira noverca,
Perpetuo cogat victum ſudore mereri.
Imò hic, quo reliquis videor præcellere, ſplendor
Sidereæ mentis, craſsâ caligine primùm
Obruitur, multóſque diu cæcutit in annos:
Donec me tandem rerum experientia ſegnis
Inſtituat, vel moroſi doctrina magiſtri.

Tunc

Tunc quoque quot ſubeunt teneram faſtidia mentem,
Dum Veri abſtruſum decus, aut diſcrimen Honeſti
Quærit, & ingenuas extundere nititur Artes!
Dum Veneris rapidos ſatagit compeſcere motus,
Immaníſque feros iræ frænare furores!
Uſque adeo humanam damnant Fata impia Prolem!
Scilicet hæ ſtolido erumpunt de pectore voces;
Has veſanus Homo effutit; quum Numen iniquum
Mentitur, juſtíſque intentat crimina Divis.
Quis tamen iſta ferat pravæ dicteria linguæ?
An tu delicias Orbis, terræque decorem
Inficiari audes Hominem, qui robore Mentis
Æternæ, & validæ rationis viribus, omnis
Naturæ tenet imperium, mundúmque gubernat?
Lævia membra quidem, & nullo munimine tecta
Naſcuntur tenero infanti: ſed provida mater,
Quæ charo totis opibus ſuccurrat alumno,
Non deſit; donec firmâ compagine corpus
Creſcat, & innatum prodat mens inclyta lumen.
At ſimul eximio Ratio fulgore coruſcat,
Subtilíque acie rerum diſcrimina cernit,
Cuncta ſibi parere jubet: Sectatur honeſta,
Turpia declinat; Pallatia, mœnia, leges
Condit: & ipſa ſuum quem conflavere Tyrannum
Magna Elementa colunt, ſublimiáque ora verentur.
Sæpe (fatebor enim) premitur Mens pondere denſi
Corporis, arcetúrque polo: ſed ſe tamen imâ
Tollet humo ſi quando volet; cognatáque tangens
Sidera,

Sidera, ſe patrio generoſam reddet Olympo.
Ardua non refero; proprio dum lumine ſeſe
Luſtrabit cœleſtis Homo, terreſtria ſpernet,
Vanáque deſpecti ridebit frivola mundi.
Hîc tamen Arte opus eſt: etiam præcepta juvabunt
Arcendum à vitiis animum; mentíſque vigorem
Exerere, innocuæ properabit Regula vitæ.
Non equidem inficior, pulchro quin ſanguine cretos
Sideribúſque bonis morum comitetur honeſtas,
Et patrum in natos abeat cum ſemine virtus.
Pulchra tamen plerumque labant: & qui malè prolem
Educat, hanc perdit, primordiáque optima vertit.
Unde hîc inſanos poſſum incuſare Parentes,
Quos tam cæca tenet Natorum incuria, alendos
Ut paſſim ignotis tradant Nutricibus; unde
Innumera è tetro manent diſpendia lacte.
Namque, ut corporeas ſileam quas lactea noxas
Pocula prima ferunt; ipſam quoque lædere mentem
Lac ſolet, & pravos animi producere mores.
Quis neget impurum meretricis ab ubere ſuccum
Exſugi; unde iræ, fœdæque libidinis ignes
Corda urant, caſtúmque vetent habitare pudorem?
Tu quoque fraterno maduit cui ſanguine dextra,
Romule, cui raptas placuit temerare Sabinas,
Et Latias vaſtare domos, & vivere rapto;
Nónne fero de lacte Lupæ mammíſque cruentis
Atroces hauſiſti iras, animúmque repacem?
Ergo ubi delecta eſt moris, lactíſque pudici

Nutrix: ingenuis quæ ſit ſapientia natis
Indenda, attenti è nobis ediſcite Patres.
Ipsâ etiam invitâ male concreti indole nati,
Legitimis creſcet ſtudiis exercita Virtus.
Sic quondam aſſiduo Sophia indefeſſa labore,
Socratis infauſto Genio, atque in prava ruenti
Obſtitit, & pulchro perfudit lumine mentem:
Unde per Argolicas Sapiens celeberrimus urbes
Promeruit ſacris nomen memorabile Delphis.
Non tamen hîc omnes morum conſcribere leges
Eſt animus; ſed ſumma ſequens faſtigia rerum,
Quæ pueris, quæ puberibus ſint apta regendis
Præcepta, & teneras quæ flectant optima mentes
Conſilia, appoſito, quo ſum potis, ordine pandam.
Principio, infantum dum muta ſuperfluit ætas
Humore immodico, nec adhuc parva ora reſolvit;
Tunc tantùm ſatagas, ut mollia corpora dulci
Augeſcant victu; motúque exercita blandè
Firmentur, ſumántque habiles per membra figuras.
Quippe ſub hâc ætate latet ſopita recentis
Vis animi, nec dum ingenito ſe lumine promit.
Sic ubi cæruleis Titan emergit ab undis,
Humentémque torum liquidæ fugit Amphitrites;
Vix minimos ſpargit radios, lucémque puſillam,
Donec in æthereas ſurrexerit acrior oras.
Sed poſtquam blæſæ diſtinguere verba loquelæ
Incipiet puer, humanáſque emittere voces,
Mox curis animate piis Pater adveni: & alti

Jura

Jura Dei propera creſcenti infundere nato;
Ut quæ prima puer balbutiet ore venuſto
Verbula, Divinas laudes, cælíque benignas
Virtutes reſonent, fuſúmque per omnia Numen.
Si quando horriſonos comitantia fulgura bombos
Æthera diſcindent, ſubitóque inſueta fragore
Pectora ſubvertent puero, incutiéntque tremorem:
Huic Superûm ultrices iras, animúmque Tonantis
Inſinua; quòd magno hominum Divûmque Parenti
Contemnat ſegnis meritum perſolvere honorem.
Sic Jovis injectus ſapiens timor æqua tenellæ
Corda dabit proli, ſanctæque exordia legis.
  Forſitan & ſolâ tandem Ratione magiſtrâ,
Noſſe Deum poſſet felici ſidere natus.
Sed nullis Patrum monitis hæc ſera veniret
Notio, nec niſi provecto illuceſceret ævo.
Hinc cæcam miſeror ſortem, lugendáque fata
Occiduæ gentis, quæ noſtris invia dudum
Puppibus, adverſis figit veſtigia plantis.
Hæc licèt innumeros ſæclorum viderit orbes,
Mirandáſque vices rerum, mundíque tenorem,
Vix tamen inſertos ſentit per ſingula Divos:
Uſque adeo Doctore opus eſt, ut Numina noſcas!
  Nec ſatis eſt puero Jovis inſpiraſſe potentis
Imperium, cultúſque ſacros, ſanctúmque timorem.
Ipſum etiam ſic inſtituas, ut pectora nullis
Aſſueſcant odiis; cunctos ſic diligat, ut quæ
Diſpliceant ſibi, non aliis infligere tentet.

Quid referam grato venerandos corde Parentes?
Aut conſanguineos aut longævæ ora ſenectæ?
Aut Themidis magnos Proceres, rerúmque magiſtros?
Hæc ſunt quæ Puero vel ab ipſo limine vitæ
Præcipies; divinæ hæc ſunt compendia legis.
   Aſt ubi paulatim creſcens adoleverit ætas,
Jámque capeſſendis monſtraverit artibus aptum
Ingenium, mentémque habilem, veríque capacem:
Protinus ingenuis ſtudiis ſe tradat adulti
Vis animi, facilíſque adeat prima atria Muſæ.
Nónne magis dociles ævi ſibi vendicat annos,
Mnemoſyne, Aonidum genitrix, mollémque cerebri
Temperiem, & vegetos nativo robore ſenſus?
Ergo quæ memori debent ſub mente reponi
Ocyus, ut variis accommoda nomina rebus,
Ex Græco, Latióque penu deprompta; vel ipſa
Pulchri quidquid habet viventum lingua Quiritum,
Gallicáque eximiis hodie ditiſſima libris;
Quæqúe ſuperba graves extollit Iberia voces:
Gnaviter aſſiduâqúe operâ perdiſcat ephebus.
Ipſe quoque interea veraces volvere curet
Hiſtoricos; quibus æternis ſignata tabellis
Heroum acta micant, longos memoranda per annos.
Quis veſana ferat falsâque ſtrepentia famâ
Facta virûm, qui nuſquam ullo vixere ſub ævo;
Quíque leves vano paſcunt phantaſmate mentes?
Has commentitias, & ponderis omnis inanes
Hiſtorias, bonus aſſueſcat contemnere tiro;

Nec

Nec niſi veridicis amet impalleſcere chartis.
Nec tamen altiſonos pigeat verſare Poëtas;
Entheus eſt ollis furor, & ſapientia miris
Docta modis, lepidóque placens modulamine Virtus.
Sed pubeſcenti poſtquam nova robora nato
Accedent, primóque Animus turbabitur æſtu:
Tunc ſatage, ut Ratio ſtudiis gravioribus ipſam
Se firmet, properétque feros componere motus.
Fervida corda quidem, & calidâ turgentia bile
Vix ſapient; Vix in crudam Prudentia mentem
Intrabit: ſed non ideo hanc obvolvet iniquo
Turbine tempeſtas, aut triſtibus obruet undis,
Si modò ſideream fundet Sophia optima lucem.
Macte igitur generoſo animo virtutis amator
Strenue, ne cæcum rapiat te devius error.
Utqúe illibatum menti conferre decorem
Sis potis, & ſuperis dignam traducere vitam:
Eſſe aliquos Manes, æternáque jura ſupremi
Crede Dei; quibus Aſtra bonos, horrenda ſceleſtos
Antra manent; rectâque fluunt mortalia lege.
Hæc eſt vera Hominis ſapientia, nobile mentis
Hoc ſtudium, noviſſe Deum; ſeſe quoque noſſe,
Séque immortalem cognato reddere Olympo.
Sed quia Virtutum regitur chorus omnis ab ipsâ
Luce Intellectûs, quâ circumfuſa Voluntas
Pergit ad innocuos facili conamine mores.
Hoc ideo inprimis cures, ut plurima Mentem
Notitia illuſtret, confusáque nubila cedant.

Novi equidem anguſtum miſeris mortalibus ævum
Concedi; unde animum jucunda ſcientia Veri
Vix ſubeat, densáſque abigat de mente tenebras:
Sive quód innatum Rationis lumen opacâ
Nube tegant tetri fumantia corporis exta;
Sive quòd omnis inops lucis mens inſcia crebro
Indigeat ſenſu, rerum ut ſimulachra capeſſat.
Quidquid id eſt, te perpetuo indulgere labori
Fata jubent, ſi pulchra animi ornamenta requiris.
Tu tamen omnimodas rerum pernoſcere cauſas
Ne ſperes: nimis immenſo ſe porrigit orbe
Mundus, inexhauſto ſpecierum plenus acervo.
Sufficiet ſpectare rato quo cuncta reguntur
Ordine, & æternas quas ſervant ſidera legens.
   Aſpice quàm pulchrâ compage cohæreat ingens
Machina ſidereæ molis! quàm fonte perenni
Luminis, in vaſtum Titan ſpargatur Olympum;
Fœcundétque leves radiis vitalibus auras!
Sive indefeſsâ luſtret vertigine terram
Ignivomis invectus equis: ſive ipſa rotetur,
Et circum immotum Solem vaga Terra pererret;
Cuncta movet Deus Omnipotens: nec talia cæcus
Tam ſtabili dudum volvat molimine Caſus.
Parce tuis, Epicure, atomis, ſine numine textam
Congeriem aſtruere, & vanæ ludibria Sortis.
Ipſa licèt ſolidis præſtent corpuſcula rebus
Materiem; tamen, eximiâ Jovis arte, coacta,
Diverſas mundo ſpecies tribuiſſe neceſſe eſt.

O quám conſpicuo Mens exornata decore
Fulgeret, ſi rerum ortus & fœdera noſſet!
Quótque modis Elementa ſuas miſcentia formas,
Omne genus lapidum, duri genus omne metalli,
Gramináque & ſegetes, frondosíſque edita ſylvis
Robora, ſquammiferos piſces, volucréſque canoras,
Fœcundique armenta ſoli, pecudéſque, feráſque;
Cæteráque immenſi componant corpora mundi!
Sed noſſe humanæ præſtat miracula molis,
Divinúmque Animal: cujus veneranda potentem
Ora Deum referunt; mortaliáque omnia lato
Imperio, & validâ Rationis lege coërcent.
Nónne per expanſum quidquid diffunditur Orbem
Sola hominis Natura capit? Nónne alta rotundi
Arx capitis, tibi ſupremam Jovis exhibet arcem?
Nimirum ut rutili ſedet alto in culmine mundi
Omnipotens, pulchrâ Divum ſtipante coronâ,
Aligerúmque choro; queis ſumma capeſſere juſſa,
Æterníque datum eſt nutus deferre Tonantis:
Sic Caput humanum, nitidi Mens ætheris aura
Incolit; huic adſtant ſenſus, huic plurima gaudet
Spirituum ſervire cohors artúſque movere:
Et totum æthereo perfundere lumine corpus.
Quis neget è medio radiantem pectore Solem,
Cor almum vitæ ſidus; quo membra foventur
Omnia, cœleſtíque vigent recreata calore?
Nónne, ut candenti nonnunquam exæſtuat igne,
Subjectáſque urit terras accenſus Apollo:

Sic

Sic etiam ignitâ ſi quando ebulliet irâ
Cor hominis, calidóve furens ardebit amore,
Continuò effuſo corpus torrebitur æſtu?
Quid loquar, ut pelago mixtam Telluris opacæ
Colluviem referat fœcunda humoribus alvus:
Unde vapor flatúſque frequens prorumpat in omne
Pectoris & capitis ſpatium: pluviæque ſolutæ
In morem, toti madeant ſudoribus artus?
Ceu nubes cœlo obtenſæ, velamine crebro,
Phœbeos adimunt radios, & lumina condunt;
Sic ſæpe obſcuros fundente abdomine nimbos,
Ingenito ſplendori animi, nox incubat atra;
Donec diſcuſsâ redeat caligine lumen,
Humanóque jubar nitidum reddatur Olympo.
At veró omne feret punctum, ſi ſe quoque norit
Mens hominis; nil quippe ipsâ pretioſius uſquam eſt.
Hæc eſt vera Dei effigies, ignobilis expers
Materiæ fati victrix & neſcia mortis.
Hæc effuſa licet per totos corporis artus
Craſſam agitet molem, tamen impermixta cohæret;
Et rerum abſtractas ſpecies, generúmque latentes
Naturas, in ſe reflexo lumine cernit.
Sic quamquam aſſiduo moveat moderamine mundum
Omnipotens, totúmque almis concurſibus Orbem
Suſtineat, rerúmque vices & tempora mutet;
Se tamen æternum, proprióque decore coruſcum
Suſpicit, immenſóque nitens fulgore triumphat.
Ergo immortalem quum ſe Mens æmula Divûm

Noverit,

Noverit, an celſum non affectaret Olympum?
An fædis terræ illecebris correpta, caducas
Sectaretur opes; vani vel inania ſenſûs
Gaudia, vel ſtolidos mundi fallacis honores?
An non virtutes potiùs conatibus æquis
Indefeſſâ colat, vitiorúmque agmina frangat?
Nam ſi æterna manent ſceleratas Tartara mentes;
Et contrà æthereis ſuccedunt candida campis
Pectora, quis dubitet juſtos acquirere mores?
Quem non delectet ſolers Prudentia, honeſtum
Veſtigare habilis, rectúmque inſiſtere callem?
Quis non deſpiciat Veneríſque gulæque pudendas
Delicias? quis non invicto robore diros
Contemnat Fortunæ ictus, Fatíque procellas?
Paupertas, ſævúſque Dolor, plebíſque Cachinnus,
Ortum Virtuti, jucundáque pabula præbent:
Quóque magis premitur Sapiens, magis inde reſurgit.
Sed quia non ſatis eſt, propriâ virtute decorum
Fulgere, & ſuperûm vitam ſedéſque mereri:
Te quoque proficuum Patriæ; te civibus aptum
Redde tuis, animúmque ad publica commoda confer.
Nónne animal civile audis, cui mutua cura,
Officiíque pii communis convenit uſus?
Quum tamen haud homines ſtudia omnes omnia tangant,
Nec grave ſit placito juvenem indulgere labori,
Conſule nativum Genium: & ſeu Pacis amœnas,
Seu minùs optandas Martis delegeris Artes,
(Nam plerumque armis fas eſt ſua jura tueri)

His te agilem accingas; primo dum flore juventæ
Membra vigent, firmúmque micat ſub pectore robur.
Sed caveas ne dum Mavortia ſigna ſequeris,
In pravos mores flexu labaris iniquo,
Bellicáque ingenuam corrumpant crimina mentem.
In Bello præceps vitium ſtat: víxque furentem
Temperat à noxis animum furialis Enyo.
Atque ideo inſanam ne inducat Thracius ardor
Barbariem, quâ miles iners vecórſque ferocem
Pallada, nuſquam ullâ Muſæ dulcedine lenit;
Tu placidis ſtudiis immania dilue corda,
Et tener immiti Marti jungatur Apollo.
Ut demum validæ laudanda peritia Menti
Accedat, pulchríſque animum virtutibus ornes;
Te juvenem peregrè varias inviſere terras,
Diversóſque hominum Genios, diversáque regna
Obſervare velim, ut memori hæc ſub mente reponas,
Antè genus quàm tu inſtituas vitæque tenorem.
Nam quum quæque ſuos habeat Provincia mores,
Quæque ſuum gens ingenium; te cuncta ſagacem
Explorare juvat: ritus, habitúſque locorum;
Quod cunctis vitium Populis, quæqúe inſita virtus.
Sic ubi tranſmiſſis inviſes Alpibus almam
Italiam, gemino pelagi munimine tutam;
Hîc rerum quondam Dominam, latóque potentem
Imperio, nunc fractam imbelli robore Romam
Invenies, ſolâ ſe Relligione tuentem.
Hîc Latius miles torpens, & Martis aviti

Immemor,

Immemor, ignavâ compoſtus Pace quieſcit.
Quæ tamen eximium præfert veneranda cadaver;
Quæqúe tot Heroas rutilis Urbs addidit Aſtris,
Haud omni quaſsâ prorſus virtute fatiſcit.
Romuleum quandoque ſolum, quo ſemine Divo
Turget adhuc, ſæclis præclara exempla futuris
Parturit, ingentes Animas; queis deditus Orbis
Cedat, & immenſi volvatur machina Mundi.
Sic qui hodie noſtris prælucet Julius oris,
Auſoniæ rutilans jubar & Romana propago,
Scipiadæ quos ambo olim, Fàbiique invictos
Monſtravere animos, uno de pectore promit.
Non illum frangit rabies pugnacis Iberi,
Iráque fœta odiis: non illætabilis Orci
Spiritus, aut ſævos in mutua vulnera Gallos
Tiſiphone exagitans: non atris tetra colubris
Invidia impavidum potuit convellere; diro
Quin ſua dente ſecans incaſſum viſcera rodit.
Quódq; magis mirere; ſuos quum vindice dextrâ
Conterere oſores queat, his ignoſcere lenis
Julius, Æneadæque alto cum nomine Iüli
Jungere mitem animum, manſuetáq; pectora gaudet.
Cætera ſed variis degit quæ ſubdita ſceptris
Itala Gens, audax robur, priſcúmque vigorem
Exuit: huic ſupereſt vafræ ſolertia mentis;
Ingenium blandiri habile, & ſapientia miris
Mixta modis, ſuavíſque potens facundia linguæ.

———— " *Stolidus quâ circumſcribitur Orbis.*
" *Quid quod adulatrix formas ſe vertit in omnes*
" *Natio, ſervitio repens, magnatibus aſtans,*
" *Subdola, lucro inhians, ſi juſſeris, ibit in Orcum*
" *Italus eſuriens, crimen nec reſpuet ullum.*
" *Hunc tamen haud credas nullâ virtute redemptum*
" *A vitiis.*

Intereà ad cunctas aptum ſeſe Italus Artes
Oſtendit. Sapit in multis, votóque tenaci,
Quæ cupit, inſequitur patiens, nec inania captat.
Non hunc ſpes longæ abſterrent, longíque laboris
Tædia; non diræ quatit inclementia ſortis.
Providus & frugi rerum diſpendia vitat,
Fortunámque regit; felix induſtria nomen
Italicum paſſim celebrat, gratúmque Camœnis
Ingenium, & Phœbum non dedignantia corda.

" *Quódque magis mirere; alto quæ è culmine ſummi*
" *Decidit Imperii; Reges tamen edocet Artem*
" *Regnandi, inſtituítque novos gens victa Tyrannos.*

Exinde Occiduum ſi perges viſere Iberum,
Acre Hominum genus occurret; fortiſſima bello
Pectora, quæ totam cupiunt ſua ſub juga mitti
Europam, inſanâ necdum ambitione quieſcunt.
Quin etiam immenſum dum ſubdere cogitat Orbem
Heſperia, imperio flagrans; quot adire labores

Gaudet,

Gaudet, ut ingentes animos ingentibus auſis
Impleat, & Regnis nondum exſaturata triumphet?
Non hanc Oceani rabies; non altera mundi
Sidera, & ignoto reboantes æquore venti;
Non ſitis, immaníſque fames deſiſtere magnis
Inceptis, votíſque modos imponere cogunt:
Tantus amor Sceptri, tantæ dominatio curæ!
Interea immodici Regni dum cæca cupido
Hiſpanos agitat; placitis parere ſeveræ
Militiæ faciles, ſubmiſsâ mente capeſſunt
Juſſa Ducum; tetricáſque minas nutúſque verentur.
Hoc igitur robur conſtans, hæc Martia gentis
Temperies: haud ruris amans invertere glebas;
Aut ſerere, aut lætas ulmis adjungere vites
Conſpicitur: ſed tota viris omni arte domandis
Incumbens, enſem geſtit præferre ligoni.
Nec tantùm bello inſignes ſpectabis Iberos:
Conſiliis ſed præcipuos; altéque ſilentes
Quæ cupiunt, tacitóque prementes pectore vota.
Imò & ſæpe ſacrum dum Relligionis honorem
Prætendunt cœptis, addúntque ad crimina Divos,
Plebeiam illudunt turbam; vulgíque profani
Obtuſas ſanctâ replent caligine mentes.
Præterea inflatis Hiſpana ſuperbia buccis
Obtundit patulas tumidis ſermonibus aures,
Exteráque aſpernans naſo ſuſpendit adunco:
Unde tumorem oris vani, ampullatáque verba
Quis ferat, inſano dare pondus idonea fumo?

Si

Si deinde è calidis remeans regionibus altos
Pyrenæi apices peragras, Gallóſque reviſis,
Hi pro more leves ſubeunt, animóque feroces:
Omnis & officii immemores, bene vel male facta
Vix animo recolunt, irâve ultrice rependunt.
Huic tamen innatæ levitati Martia virtus
Jungitur, & nullis audacia fracta periclis.
O quoties ſubito tremuit perculſa timore
Roma potens, quum per Latios ſe funderet agros
Indomitus, rapidóque erumpens impete Gallus!
Quid Celtis everſam Aſiam, Libyámque recantem,
Totqúe triumphatas Eoa ad littora gentes?
Omnia jam celebrata; ſed acri Marte furentes,
Vix poſſunt Galli rebus durare ſecundis.
Sæpius & pulchris infelix exitus orſis
Succedit, perdítque omnes mens læva triumphos.
Sive quòd intrepidæ violenta ferocia Gentis
Haud perſtare diu valeat; ſeu quòd nimis hoſtem
Contemnens domitum, molli laſciviat æſtu.
Sive quòd inſtabiles animi ſeſe ad nova ſemper
Promoveant, partáſque ſinant areſcere Laurus.
Interea Reges, ceu numina ſacra, verentur
Addicti imperiis Franci; nec ferre recuſant,
Quidquid ſubjectos jubeat Diis æqua Poteſtas:
Unde hîc regnatur verè, nec ubíque locorum
Regia Majeſtas ſolio magis emicat alto.
Hîc placitum pro jure datur; pro lege voluntas
Sola tonat: puerique interdum debile nomen

Invicti

Invictis ſuccedit Avis, populóſque coërcet.
   Quid loquar, ut blandis Gallâ excipiantur in Aulâ

———" *Gallâ accipiatur in Aulâ*
" *Advena Trinacriis etiam devectus ab oris.*
" *Gallia in externos nimiâ bonitate redundat*
" *Imò alienigenis pravâ ratione regendam*
" *Se tradit plerumque; ſuúmque ingloria robur*
" *Subjicit hoſpitibus longinquo è littore fuſis.*

Hoſpitiis, quos lugendos ſors improba vexat?
Gallia in externos totis expanditur ulnis.
Imò alienigenas, aptum queis rebus agendis
Contigit ingenium, & rerum prudentia ſolers,
Conſilii in partes ſummas, arcanáque Regni
Adſciſcit, meritóſque excelſo donat honore.
Sic qui nunc placido flectit moderamine Gallos,
Romanus Latio Princeps ſpectabilis oſtro,
Quàm dulci exceptus gremio! ſed quanta rependit
Munera, dum firmis Gallum cervicibus orbem
Suſtentat novus Alcides, clavâque tremendus
Victrici, Hiſpani Geryonis ora retundit?
   Nec tantùm urbanâ ſe conſuetudine Gallus
Commendat, vultúque hilari, & dulcedine morum;
Seria ſed lepidis grato moderamine miſcens,
Artibus ingenuis Muſas, Sophiámque Camœnis
Jungit, & abſtruſum nihil intactúmque relinquit.
Attica facundis quidquid Sapientia chartis

Protulit;

Protulit; Aoniæ quidquid cecinêre Sorores;
Quidquid & Auſonii Tiberina ad flumina Vates
Romuleis dixere modis, citharâque tubâque;
Omnia pernoſtis Galli, æquatíſque canendo.
Quippe etiam eximiæ veſtro modulamine Muſæ
Æmula Cecropii reſonant, Latiíque leporis
Carmina, & arguto mulcent præcordia cantu.
Inde Caletani ſi trajicis æquora ponti;
Anglos immanes, Regúmque à cæde cruentos
Repperies; plebem effrænem, ſanctíſque rebellem
Legibus, & variâ cum Relligione furentem.
Unuſquiſque ſibi Vates, ſibi quiſque Sacerdos
Hîc audit proprium Genium, ſequitúrque potervè;
Pròque animi libito Superis imponit honorem.
Sæpius hinc iræ & lacrymæ, dum ſomnia jactat
Quiſque ſua, & ſtricto defendit credita ferro.
Nec tantùm veteres ritus, cultúſque Deorum
Contemerare novis gaudent erroribus Angli;
Hos etiam in reliquis inſana protervia ducit:
Et ſi qua antiquas convellat opinio mentes,
Hanc ſubitò arripiunt, & toto pectore firmant.
Nec tamen omni laude carent; hos nautica virtus
Ornat, & immenſi divina peritia Ponti.
Non Anglum Tiphys ſuperet, non fortis Iaſon;
Non quemcumque tulit velis audacibus Argo.
Quid referam anguſto diviſos æquore Belgas,
Non Celtis multùm abſimiles; niſi regia ſceptra
Odiſſent, carâ pro libertate feroces?

Te

Te quoque non pigeat Germanam inviſere gentem:
Huic alti decus Imperii, Romanáque ceſſit
Gloria, & intrepidis Aquilis fulgentia ſigna.
Huic colitur ſincera fides: huic calida mentis
Vafrities, agilíſque animi verſutia fallax
Diſplicet, & varios quærens Prudentia gyros.
Sive quòd algenti densòque ſub aëre natis
Germanis, haud ingenium contingat acutum;
Sive quòd ingluvie crebrâ, nimióque Lyæo
Turgidula obtundant temulentam viſcera mentem.
Quippe his egregium eſt pateras haurire capaces,
Implerique mero; non his inhoneſta videtur
Ebrietas: imò unanimi ſi pectore gaudent
Fœdera percutere, & ſociales jungere dextras,
Lenæo indulgent; per mutua pocula ſanctæ
Pignora amicitiæ tradunt; pluréſque bibendo
Siccantem calices ſequitur fiducia major.
Talia Sileni celebrabant Orgia quondam,
Inflati, ut ſemper, fumanti abdomen Iaccho,
Atque dapes inter dulces læto ore canebant.
Nec tamen immodicos implens Germania ventres
Omnem animum extinxit: quædam pars inclyta Gentis,
Ingenióque potens, mirandas extudit artes.
Quis neſcit diri reſonantia fulmina Martis
Germanâ fabricata manu? graphicáſque typorum
Inventas Rheni famoſa ad flumina formas;
Doctorum queis ſcripta virûm, pretioſáque Muſis
Carmina, venturos durant ſervata per annos?

Nec ſileam, ut ſtudiis Bellonæ aſperrima corda
Teutonicæ gentis, gratâ vix pace quieſcant.
Otia quippe ſuas cernant ſi involvere terras;
Finitimi in partem belli concedere malunt,
Quàm placidâ torpere manu, lentóque veterno.
Hinc apud externos paſſim ſtipendia quærunt,
Nec pudet, ut pugnent, armatas vendere dextras.
   Te demum Danos vellem, & noviſſe Polonos,
Indomitóſque Getas; nec enim ſarraca Bootæ
Pigra vetant, gelidâ Muſas habitare ſub Arcto.
Sed forſan tot adire plagas, tot diſſita regna
Luſtrare, & varios populorum expendere mores
Vix poteris, nimiúmque viæ perferre laborem.
Nimirum validos artus cum ſorte benignâ
Hunc habuiſſe opus eſt, qui tot pervadere tractus
Suſtineat, terríſque diu jactetur & alto.
   Quin etiam quum jam matura acceſſerit ætas,
Ferventémque animus peregrè ſedaverit æſtum:
Siſtere tunc greſſum, civili munere fungi
Convenit; & ſtabili tandem ſe tradere vitæ.
   Ergo tibi vario quidquid didiciſſe labore
Contigerit, perpende lubens; vitiíſque fugatis,
Quas apud externas gentes ſpectaveris uſu,
Illuſtres tu virtutes amplectere ſolers;
Conſpicuúmque ex his animi compone decorem.
Sic ubi mellis opus, lætis in ſaltibus Hyblæ,
Aëriæ meditantur apes; per florida paſſim
Rura volant: violas, thymbram, caſiámque, thymúmque
Exſu-

Exſugunt, fusóſque bono de ſidere rores;
Ut placidas dulci diſtendant Nectare cellas.
Intereà reliquos vitæ dum tranſigis annos,
Ne decor ingenitus mentíſque adſcita venuſtas
Diſpereat; tu clarorum monumenta virorum
Alternis horis relege; ut quæ multa vagantem
Haud ſubiere animum, jucunda per otia diſcas:
Præcipuè Hiſtoricis quæ ſunt inſignia chartis,
Magnorum ſeu facta Ducum ſeu dicta Sophorum;
Seu poſitus tibi non viſos cœlíque ſolíque;
Cæteráque ingenuis quæ lucem mentibus addunt.
Denique colloquiis Hominum te ſemper honeſtis
Miſceri, me auctore juvat; Nam ſe quoque Virtus
Nonnunquam contage bonâ per amica propagat
Pectora, & optandi veneranda ſcientia Veri.
Quis tamen hîc ſileat Magnatum improvida paſſim
Corda Patrum, qui infenſa ſuis conſortia Natis
Haud animadvertunt; ſed libertatis habenis
Effuſis, quoſcumque ſinunt diſcrimine nullo,
Et pravos plerumque ſibi ſociare ſodales.
Nam ſimul ut ſe Patritius depromet Ephebus,
Inqúe Hominum cœtus dabit, excutiétque Magiſtros;
Ne ſperes ipſum veræ Virtutis Alumnos
Culturum: Scurræ, Ganeones, Alea, Scorta
Hunc rapient; teneróque animo per lubrica ducto,
Incautum triſti vitiorum gurgite mergent.
Nec tantùm exuitur generoſo pectus Honeſto:
Ipſam etiam Pulchri mentem penetralia Veri

Indagare vetant, cæcámque ad devia flectunt.
Ad menſas ubi ſe facilem miſceret, amica
Pocula per lætáſque dapes, minùs aſpera Virtus,
Indocti accumbunt Paraſiti; ſordida turba
Aſſentatorum: ſapida hic obſonia laudat,
Hic ſtupet ad lautas epulas; hic, turpe voracis
Gutturis exemplum, pleno ſe proluit auro
Spumantis pateræ, Bacchúmque ad ſidera tollit.
Alter Ventre minor, nec ſtrenuus Helluo, mollem
Commendat Venerem, blandóſque Cupidinis ignes:
Ingenuam Domini florente ætate juventam
Ad ſcelus incendit. Culta (inquit) molle Puella,
O Rex, ſubriſit tibi. An hanc faſtidit Amantem
Cor juvenis? nec jucundo indulgebit Amori?
Tu tibi quod ſatis eſt ſapis: ærumnoſa Solonum
Conſilia, & tetricos felix contemne Catones.
Hi ſunt Convivæ; hîc de rebus inanibus omnis
Sermo; de recto nihil eſt quod ſcire laborent.
Talibus inſtanti dictis, & plura paranti
Dicere; quæ patulas circum vox adſonat Aures?
Quæ facies fulgore novo radiantia ſpargit
Lumina, & Ambroſiis perfundit odoribus auras?
Calliopen video, ſpecie nec fallor inani.
Ut comi gravitate nitens, blandóque pudore
Nobilis! ut miro inceſſu Dea vera pateſcit!
Quid me, Diva, tuo adventu dignaris? an iſtud
Quod cecini carmen te Pindi è vertice duxit,
Ut mea conſpicuâ præcingas tempora Lauro?

Perge.

Perge, ait, & pulchræ quæ ſunt addenda Camœnæ
Accipe, téque novo repleri numine gaude.
Non ſatis eſt homines vivendi legibus æquis
Inſtituiſſe mares, animúmque ornaſſe virilem:
Fœmina cui grato Naturæ munere major
Ore decor, lepidæque data eſt præſtantia formæ;
Ipſa etiam propriæ mentis reſcire venuſta
Ornamenta cupit, proprióſque agnoſcere mores.
Et quia formosâ ſpecie, ſexúque benigno
Gaudemus Divæ Aonides; & congrua nobis
Munia, Virginibúſque aptas pernovimus artes:
Has non dedigner facili tibi pandere verſu.
Inprimis non tam craſſo muliebria corda
Ficta luto, aut lævam ſortita eſt fœmina mentem,
Quin pulchris etiam ſtudiis ſit idonea: cæcum
Quis ferat errorem, quo non licet eſſe peritis
Virginibus, Veríque altas inquirere cauſas?
Nempe his innatæ lumen Rationis ademptum
Cur fuerit? Cur humanæ vis inſita menti
In pulchro ſexu ſic extenuata fatiſcat?
Dii tantum vetuere nefas; nec ſolus Apollo
Artibus ingenuis habilis: Tritonia Pallas
Has quoque, & Aoniæ norunt, pia turba, Sorores.
Quæ tamen (ô Gallæ gentis vecordia!) Princeps
Nos colit hîc mulier? tecum, ô Valleſia proles,
Fœminei omne decus ſexûs, tecum occidit omnis
Ingenii muliebris honos; nec diſcere quidquam,
Quod decoret mentem, Gallarum ignavia curat.

Ergo

Ergo ad Hyperboreum tandem migrabimus axem,
Concretáſque gelu terras; hîc magna Getarum
Regina, exoſas hâc tempeſtate Camœnas
Excipit: hæc noſtras lauros miſcere paternis
Gaudet, & innocuas Marti ſuccedere Muſas.
O fati abſtruſas leges! ô mira Deorum
Conſilia! eximias quæ quondam everterat Artes
Barbara Gens, doctúmque furens turbaverat Orbem:
Nunc, verſis rerum vicibus, miteſcit amœno
Ingenio, & tantæ ſtudiis ſapit Heroinæ.
Vos modò Gallarum nuruum denſiſſima turba,
Si minùs ad claras animos advertitis Artes,
Eſte bonæ ſaltem, & caſtum ſervate pudorem.
Vos dum accurato texetis pollice lanas;
Aut facilem ducetis acum; fusóſve, colúſve
Mobilibus digitis, vilíque agitabitis uſu;
Æmula corda piis ſaltem retinere Sabinis.
Quis ferat obſcœnos mores, meretriciáque ora
Laïdis, aut fœdâ turpem prurigine Floram?
Quis molles laudet riſus, oculóſque trementes,
Aut voces nimium blandas, aut verba pudenda;
Cæterea queis pulchri ſexûs violatur honeſtas?
Ipſa quidem ætherco Pſyche ſpectanda decore,
Talibus haud uſa illecebris corrupit Amorem;
Moribus at pulchris animi, caſtóque lepore,
Non illaudatos accendit amabilis ignes.
Dixit, & in tenues actutum evanuit auras,
Méque levi confuſum abitu, triſtémque reliquit.

O

O Dea, ſi placido te compellare liceret
Alloquio, alterníſque mihi rationibus uti;
Quàm te ego præſtanti vellem ſermone morari!
Tu mihi, quæ pulchrum Virtus Heroica Regem
Reddat: tu celſam regali in corpore mentem,
Regnandíque bonas artes, ſupremáque jura
Diſſereres, altóſque animos & Regia corda;
Quæ Divo canerem juveni, quem Gallia Pulchrum
Regnatorem amat, & ſolio veneratur avito.
Huic tua dum cultis divina effata referrem
Carminibus; quâque arte ſuis evaderet uſque
Dilectus populis, & amandâ ſorte beatus:
Forſitan ad noſtros cantus adverteret aures,
Exciperétque lubens gratæ modulamina Muſæ.
Quæ tamen hîc noſtram ſtolida imprudentia mentem
Abripit? An Princeps ſtreperis circumdatus armis

——————— *Variâ circundatus Aulâ*
Audiat ingenuas & amantes pulchra Camœnas?
Scilicet indoctos animos ignaváque Regum
Corda fovent pravâ ſontes ratione * *Miniſtri,*
Utqúe ſuum ſervent Regnum, Regna omnia perdent.

* Miniſtri] *Hâe voce utitur Seneca, Cap. 5. Lib. 2. de beneficiis ubi hæc habet.* Nihil æquè amarum quàm diu pendere: æquiore quidam animo ferunt præcidi ſibi Spem ſuam quàm trahi. Pleriſque hoc vitium eſt, ambitione pravâ, differendi promiſſâ, ne minor ſit rogantium turba; quales Regiæ potentiæ miniſtri ſunt, quos delectat ſuperbiæ ſuæ longum Spectaculum, minúſque ſe judicant poſſe, niſi diu multúmque ſingulis, quid poſſint, oſtentent, &c.

Audiat

Audiat imbelles & amantes otia Muſas?
Scilicet imperiis totam dum effrænis Iberus
Appetet Europam, & lato graſſabitur orbe
Ambitione furens & iniquo fervidus æſtu,
In Bello labor omnis erit; ſolâque pharetrâ,
Non modulante lyrâ, Regi arridebit Apollo.
Ergo, ô Calliope, valeas; nec me ſacer ultra
Ardor agat, ſanctúmque vigens in pectore Numen.

Fors erit, ut noſtri pulcherrima gloria ſæcli,
Celtarúmque inſigne decus Rex munere Divûm
Editus, & fati Lodoïcus cura potentis,
Diſcuſſis quondam nebulis, diffundat ubique
Ingenitum jubar, & proprio ſe lumine promat.
Sic ſæpe obſcuræ denſo velamine nubis
Obſitus, & tetrâ preſſus caligine Titan,
Nativo demum radiantis acumine lucis,
Nubila perrumpit victor, ſéque aſſerit Orbi
Splendidus, & toto rutilans ſpatiatur Olympo.

Tempus erit (diras nec ſeriùs impia nectent
Fata moras) quo tandem odiis ſaturata cruentis
Heſperia, & ſævo nequicquam exercita Marte,
Conſilia in melius referet, Pacémque rogabit:
Quam pius oranti Gallus non abnuet Heros.
Tunc procul omnis erit Belli furor. Occidet omnis
Effera vis animi, Regníque inſana Cupido.

Tunc

Tunc quoque conſpicuæ foliis redimitus *olivæ*,
Muſarum adveniente choro, LODOICUS amicè
Occurret; gaudénſque altas inducet in Ædes,
Aoniáſque Deas, ſacrorúmque Agmina Vatum.
O quàm ſublimi reſonabunt Regia plauſu
Atria! quàm dulces modulos læta audiet Aula!
Ferales cauſas, longíque exordia Belli,
Quo per bis denos furiis immanibus annos
Gallicus Hiſpano miſcetur ſanguine ſanguis;
Et lati horreſcunt diverſo milite campi:
Innumeras claſſes; conſtratum puppibus æquor;
Præliáque, eversáſque urbes terrâque maríque,
Et paſſim alternos utrâque è parte triumphos;
Mæonio elata execrabitur ore Camœna.
Mox tamen ut tantas ſtrages meminiſſe pigebit,
Attonitæque frement bellaci carmine mentes;
Continuò dulci ſuccedet pectine blanda
Euterpe, & lætos Pacis celebrabit honores;
Suadebítque choros & amœnæ gaudia vitæ.
Liber, & alma Ceres, plenis cumulata caniſtris,
Dona ferent, pingues reliquis cum fructibus uvas;
Turgidáque infuſo fervebunt dolia muſto.
Tunc demum Pulchram facili quam pangimus Artem
Carmine, gaudebunt Pulchri exercere nepotes;
Blandáque legitimo crebeſcent baſia nexu.
Sic poſtquam æthereos jaculatus Juppiter ignes,
Immanem Enceladum, Cœum, torvúmque Typhœum,
Et conjuratos in Olympia culmina fratres,

Disjecit toſtos, Ætnæíſque obruit antris;
Protinus Aonias Superi excepere Sorores,
Magnáque jucundo ſonuit victoria cantu.
Læta ſerenato plauſerunt Numina cœlo;
Ambroſiæ rediere dapes, & Nectaris hauſtus
Egregii: Divæ divis amplexibus ulnæ
Miſcentur, celsúmque hilarat Pax aurea mundum.

FINIS.

EJUSDEM CLAUDII
QUILLETI
AD
EUDOXUM
EPISTOLA.

AD EUDOXUM EPISTOLA.

Hanc ſcripſit, jam à decem circiter annis, ad Hominem Aulicum, cujus verum nomen, fictitio ſubſtituto, hîc lubens omittit.

FLAMINIUM tenue, & modico gratiſſima cenſu
Commoda jamdudum optantur: ſed, numine duro,
Me fugiunt; dulcémque vetor traducere vitam,
Ergo humiles, EUDOXE, lares, urbanáque tecta
Quum colere, & placidæ libeat me tradere Muſæ,
Dum tamen infeſtum mutet Fortuna tenorem,
Quid facili ſcribam calamo, aut ſermone pedeſtri?
Non me cæcus Amor; non auri ſacra cupido
Occupat. Ad ſummas rerum nec ſpero vocari
Nec valeo; quis tantæ auſit ſe credere moli?

Res geris Imperii; tibi protinùs anxia mens eſt:
Te ſimul invadunt ſexcenta negotia: noctes
Inſomnes ducis; ſupereſt tibi nulla voluptas.
  Frigidus emanet rumor, jam ſæpe negata
Fœdera cum Hiſpanis tandem ſanxiſſe Batavos,
Sancitúmque diu nobiſcum abrumpere fœdus;
Diſplicet hoc. Bavarum infidum corruperit hoſtis
Auſtriacus; veterémque fidem Germania ſpernat;
Hoc nocet, hoc felli eſt. Thuſcorum ad littora fruſtrà
Pugnarint noſtræ puppes, reditúque fugaci
Proh pudor! oppidulum longâ obſidione levarint;
Hoc cruciat pectus, ſperatáque gaudia vertit.
Occiderit duro juvenis ſpectabilis ictu,
Deliciæ Patris atque Nurûs; mox impia bella
Damnantur: ſævum clamant per compita Martem
Vecordes Animæ; diríſque oneratur iniquis,
Ardua qui ſummi ſedet ad moderamina ſceptri.
Annua ſi creſcunt, Populo frendente, tributa:
Si ſua quiſque dolet, longi in diſpendia belli,
Abſumi; pavor exoritur ne fortè coorta
Seditio, inſano moveat fera corda furore,
Accensíque ruant in mutua vulnera cives.
Quid varia invidiæ memorem molimina? ſævas
Percutiendi Artes? & cæco infecta veneno
Pabula, queis petitur Regni qui ſúſtinet Orbem?
  O miſeras Hominum curas! diſcrimina tanta,
Pendentéſque auratis è laquearibus Enſes
Suſpicimus, nec nos præruptà cacumina terrent!

Quàm

Quàm magis optanda eſt placidæ conſtantia Mentis,
Quæ ſpernens Mundi phaleras & inania, ſolis
Se miſcet ſuperis, ſummúmque affectat Olympum!
Hæc modico contenta, nec obruta pondere rerum
Deſpicit infernas ſedes, ſéque inſerit Aſtris.
Hæc ſimul Eois rutilum capit exerit undis
Phœbus, & æthereo perfundit lumine terras,
Inprimis venerari Hominum Divúmque Parentem
Gaudet, & illæſos Aris perſolvit honores.
Tum noſtræ recolens FIDEI Myſteria ſacra,
Humani Capitis lapſum, Generíſque redempti
Abſtruſum miratur opus; decretáque ſumma
Suſpicit, heu! noſtrum longè ſuperantia captum.
Dein tanto emerſi pelago, pulcherrima Mundi
Machina ſpectatur. Pugnas Elementa perennes
Ut renovent. Ut ſublimem diſtincta per Orbem
Aſtra vices rerum, fœcundáque tempora mutent.
Ut Tellus ſe Vere novo tepefacta reſolvat
In flores, ſuavíque animas perfundat odore.
Ut Sol maturet radiis Cerealia dona,
Et coquat arboreos æſtivâ lampade fœtus.
Ut fluat Autumno tumidis expreſſa racemis,
Nectareóque cados repleat Vindemia ſucco;
Qui vitæ ærumnas, hybernáque frigora lenis
Molliat, & dulcem ſtillet per membra ſoporem;
Dum ruet inſanus Boreas, conceptáque terrâ
Semina, concretâ glacie nivibúſque fovebit.
Hæc inter, ſummum agnoſcit ſplendeſcere Numen,

Quod

Quod tulit has leges, æternóque ordine ſervat;
Antiquus donec ruptâ compagine Mundus
Diſpereat, ſuáque interitu primordia monſtret.
  Nec ſe ſiſtet in his Animus per ſingula velox;
Sed peregré excurrens, latum ſe pandit in Orbem.
Æquoris innumeros cives, genus omne natantum
Miratur; pictas volucres; horrenda ferarum
Corpora; regnantéſque Hominis ſuper omnia vires.
Dignior an noſtram capiat meditatio mentem?
An me Hominem magis eſſe probem ratione potentem?
Præcipuè radiis animi ſi me quoque luſtro;
Humanæque decus Naturæ & nobile munus
Suſtineo fortis, vitiorúmque agmina frango?
Ecquis enim virgor eſt Hominis? quæ gloria? ſi dum
Cuncta ſuis premit imperijs animalia, vix ſe
Dirigat, & turpis fulgiat contagia ſæcli?
His ego me tandem, ſenioris robore mentis,
Ereptum ſcopulis, placidóque in littore fuſum
Lætor, & appulſæ telluri baſia figo.
  Senſi equidem (nec adhuc lapſæ me oblivio vitæ
Perculit) infeſto jactatum turbine pectus.
Senſi incompſitos Naturæ exurgere motus,
Et pravum teneræ Rationi obſiſtere Senſum;
Dum calor indomitus, maleſanæ in flore juventæ,
Fervidiore jecur torreret ſanguinis æſtu.
Et mihi, pro modulo ingenii, civilia quædam
Pertractare animus fuerat; ne inglorius ævum
Tranſigerem, pigros venerans ſine laude Penates.

Sed

Sed poſtquam immaturi animis vis aſpera ceſſit;
Humorúmque acer quondam deferbuit ignis;
Innocuas amo delicias, doctámque quietem.
  O fortunatam ſortem! ô ſolatia mentis
Ingenuæ, & dulcem poſt tot diſcrimina portum!
  Ne tamen obtuſum me ita credas, ut mea ſolûm
Otia, & ignavam laudem ſuper omnia vitam.
Non in Ariſtippi juravi ſenſa magiſtri,
Qui ſapit in latebris, ſéque à civilibus arcet.
Sunt quibus è meliore luto præcordia Titan
Finxit, & egregias regnandi contulit Artes.
Hos nolim lentâ vacuos recubare ſub umbrâ;
Ingenitúmque ipſis animi torpeſcere robur.
Gloria quippe Hominis ſumma eſt, ſi non ſibi ſoli
Se natum oſtendat; ſed munia magna capeſſens,
Utilibus latum foveat Virtutibus orbem.
O Galli! ô nobis quot clara trophæa; quot urbes,
Quot victi latè populi; quot regna deeſſent;
Si & curas, operámque ſuam, mentémque negaſſet
JULIUS Auſonii decus immortale Senatûs!
Hic quo conſilii præcellit robore! quâ vi
Cordis agit, celsâ dum prudens degit in Aulâ,
Effrænémque acris rabiem compeſcit Iberi!
  Sed qui tanta gerant pauci, quos æquus amavit
Juppiter, occurrunt. Non omnis Mens rotat orbes
Cœleſtes. Alcide opus eſt ſi machina Mundi
Geſtanda; aut ſævis Tellus redimenda Tyrannis.
  Intereà quibus ingenuo ſub pectore ſpirant

Addicti Muſis Animi, tranquilláque Virtus;
Deſpicere inſanas curas, hominúmque labores
Præſtat, & æternùm virides decerpere lauros:
Scilicet Aonidum gemino quæ vertice florent,
Conſpicûaque ornant redimitos tempora fronde;
Quæqúe diu Heroum pulcherrima nomina ſervant,
Et duraturam tradunt per ſæcula vitam.
Has igitur pro more colas; has rore benigno
Uſque, EUDOXE, riges; Suadet ſator almus Apollo:
Pierides ſuadent Divæ; tibíque inſita Virtus.

E J U S D E M,

IN OBITU

PETRI GASSENDI

INSIGNIS PHILOSOPHI

ASTRONOMI,

LUGUBRE ENCOMIUM.

IN OBITU
PETRI GASSENDI
INSIGNIS PHILOSOPHI
ASTRONOMI
LUGUBRE ENCOMIUM.

LUGETE Aonides; túque ô pulcherrima Pindi
Uranie largis fletibus ora riga.
Conſpicuas lacerata genas, effuſa capillos
Plange; ſonent mœſtis ſidera pulſa modis.
Ille tuus GASSENDUS obit, tua maxima cura
Gaſſendus, ſtudii gloria ſumma tui:
Gaſſendus tam fida tibi qui præſtitit uſque
Obſequia, æthereâ mente fidelis Amans.
Ah quoties bifidi vigilem te in vertice, montis
Miratus, noctis frigora dura tulit!
Sidereos quoties tecum dum ſuſpicit orbes,
Atque altum ſapiens tollit ad Aſtra caput,
Immites ſenſit brumas, vernóſque tepores,
Noctivagæque facem lumináque uda Deæ!

His

His crebris tandem ſtudiis ſuccumbit anhelus
Gaſſendus; tanto victus amore perit.
Quippe altas rerum cauſas, mundíque perennes
Acri veſtigat dum ratione vices;
Corporeæ tanto languent conamine vires,
Pectoráque aſſiduo feſſa labore gemunt.
Hinc obit; & corpus mens aſpernata caducum
Deſerit optato reſtituenda polo.
Ergo tuo Uranie nimiùm dum carpitur igni
GASSENDUS, triſti funere fata ſubit.
Sed quid ego Aoniam lugens incuſo ſororem?
Quid querulis Elegis te, Dea pulchra, peto?
Ille Hominum ſator, omnipotens, verúſque Prometheus,
Gaſſendum nobis qui dedit, ille rapit.
Hunc rapit, & merito felicem donat Olympo;
Huic dat & æthereo cominùs orbe frui.
Quas Superûm æternas ſedes; quæ lucida longo
Gaſſendus ſtudio quæſiit, Aſtra tenet.
Quas rerum cauſas rebus ſcrutatus in ipſis,
Has demùm in ſummo conſpicit Archetypo.
O Divûm menſis ſedeat quis dignior uſquam!
Quis melior cœlum promerviſſe queat?
Ille indeſſeſſus veri ſervator & æqui,
Præluxit cunctis ſimplicitate Sophis.
Simplicitate quidem ſanctâ, pietate peritâ,
Et quam terrenus non violavit honos.
Extremas quamvis famâ celebratus ad oras;
Doctrinâ quamvis notus ubique ſuâ;
Non ideò intumuit vanus; volitare per ora
Dedignans, meritis laudibus erubuit.

Otia

Otia conjunxit Muſis, doctámque quietem,
  Et mores verâ Religione pios.
Huic tenuis cenſus, modicæ gratiſſima vitæ
  Commoda, & inſontes huic placuere lares.
Novi equidem (rabidus quoniam petit optima livor)
  Huic Bavium inſanis obſtrepuiſſe modis:
Garrulus argutum graviter tulit Anſer Olorem,
  Et raucos fœdo miſcuit ore ſonos.
Haud tamen iratas Gaſſendus reddere voces,
  Nec voluit diro bella fovere ſtylo:
Ignovit ſtrepero nebuloni, & temnere vanum
  Maluit, alternis quàm lacerare probris.
Nimirum & calami & linguæ mala verba procacis,
  Gaſſendo ſemper diſplicuere bono.
Huic magnos laudare viros fuit unica cura:
  Huic gratus doctus concelebrare labor.
Teſtis es ô Salyæ PEIRESCI gloria terræ:
  Teſtis es ô Danùm lucida ſtella TYCHO:
PURBACHIUS teſtis; teſtis COPERNICUS; & qui
  Monte à regali nobile nomen habet.
Illuſtres animæ, Sophiæ cœleſtis Amantes,
  Uranies fidi, pectora ſacra, proci:
Ut vobis pulchros pius inſtauravit honores
  Gaſſendus! vita ut vos meliore beat!
Vos Gaſſendææ ventura in ſæcula chartæ
  Æternùm clarâ laude vigere dabunt.
Intereà nos eximii queis cernere docta
  Ora viri licuit, colloquióque frui:
Hujus ſolemni manes pietate colamus;
  Hujus & in tumulum florea meſſis eat.

At

At tu ô Mon-mori veræ virtutis amator,
Gaſſendi columen, præſidiúmque ſophi,
Quicum præſtantum dulcis conſenſio morum
Firmarat ſanctæ fœdus amicitiæ:
Quandoquidem ille tuus dudum ſpectabilis hoſpes
Sub laribus fudit verba ſuprema tuis,
Conſignata tibi pretioſa volumina, nobis
Imperti, & ſophicis da potiunda ſcholis.
Nobilis hæc te cura manet, te ſpectat amicus
Hic labor, & tanto debita fama viro.
Sic tua Gaſſendi comes addita gloria laudi,
Lethæos ſpernet non peritura lacus.
Sic pia Poſteritas, & amantes pulchra nepotes,
Perſolvent curæ præmia digna tuæ.
Tu verò ô noſtræ decus immortale Camœnæ,
O Gaſſendi animæ pars rediviva piæ,
Æterno charum celebra Capelane ſodalem
Carmine, lugubri pectine tange chelyn.
Ille inconcuſſo qui ſe tibi junxit amore,
Hæc animi poſcit munera grata tui.
Aſt ego cui notum feræ ſub tempore vitæ
Gaſſendum infelix abſtulit interitus,
Has mœrens fundo lacrymas; & quod mea triſtis
Muſa poteſt, gemit his officioſa modis.
Gaſſendi duro tegitur ſub marmore corpus;
Gaſſendi doctâ ſimplicitate pii.
Mens celſum è terris dudum ſuſpexit Olympum;
Nunc eadem è celſo deſpicit axe ſolum.

FINIS.

Scævolæ Sammarthani

PÆDOTROPHIÆ,

Sive de Puerorum Educatione.

LIBRI TRES.

AD

Henricum Galliæ & Poloniæ Regem.

Vos Sammarthani divina Poemata, crebrâ
Pertractate manu, doctáſque evolvite chartas;
Hic totas Heliconis aquas; hic flumina Pindi
Tota hauſit; nullam non novit Apollinis Artem.

Quilleti Callipædiæ Lib. 3.

LONDINI:
Impenſis J. Bowyer, ad Inſigne Roſæ, Plateâ Ludgate-Street juxta porticum Occidentalem Eccleſiæ Divi Pauli, 1708.

EX
EPISTOLA
PETRI RONSARDI
AD
Jo. Anthon. Baifium.

D*II boni! quem mihi librum miſiſti à noſtro* Sammarthano *conſcriptum; non liber eſt, ſunt ipſæ Muſæ: totum noſtrum Helicona teſtem appello. Quin & ſi de eo judicium mihi conceſſum ſit, velim equidem illum omnibus hujus ſeculi Poetis anteponere: vel ſi Bembus, Naugerius, divinúſque Fracaſtorius ægrè laturi ſunt. Dum enim perpendo quàm aptè ſuavitatem carminis puræ terſæque dictioni, fabulam hiſtoriæ, philoſophiam arti medicæ conjunxerit, libet exclamare.*

——Deus Deus ille Menalca.

Seculúmque iſtud felix dicere, quod nobis talem tantumqúe virum protulerit.

Scævolæ Sammarthani

PÆDOTROPHIÆ,

LIBER PRIMUS.

AD

Henricum Galliæ & Poloniæ Regem.

VOS licet illæſi ſtudium immortale pudoris
Dulcia noſſe vetet genialis fœdera lecti,
Et ſentire pium tollendæ prolis amorem:
Hìc tamen Aonides (quid enim ſine Numine veſtro
Fas audere mihi?) hìc etiam veſtri aura favoris
Optanda, hæc veſtro quærenda eſt munere laurus,
Carmine dum tenui refero quis cultus alendæ
Sit ſoboli primùm in cunis, cùm debile corpus

Pabula

Pabula jam expoſcit vivo tradenda calori,
Queis vegetum tenerâ gliſcat compagine robur
Paulatìm, & graciles ſeſe diffundat in artus.
Tu quoque (nam quæcunque vigent Te dante vigorem
Accipiunt) rege cantantem tua munera Vatem,
Phæbe Pater, Geniúmque meo concede labori.
  Fors erit ut majora canam, cùm triſtis Enyo
Deſierit cæcos armare in mutua Celtas
Vulnera, & externo quæſitus ab hoſte triumphus,
Auſpiciis, HENRICE, tuis fortiſſime Regum,
Materies aderit noſtris accepta Camænis.
Ecquis enim patriæ naſci de funere vates
Gaudeat, & proprio ſua ſanguine carmina fœdet?
  Tunc ego ſive trahes captos in vincula Perſas,
Sive ferum Eoo pelles de litore Turcam,
Mahometíſque domos & fana inceſta revelles,
(Nam neque tantus amor laudis, nec tanta cupido
Augendi latè Imperii tua pectora turbet,
CHRISTI etiam ut Sacro ſignatas nomine Genteis
Impetere, & fœdus fraternum abrumpere malis)
Quicquid ages, tua facta canam, teſtíſque laborum
Te ſequar, & longæ tradam per ſæcula famæ.
Ipſe Pater placidis lætum caput exeret undis
Jordanes, plauſúmque ſuo de litore reddet.
Ipſa e palmiferis mihi reſpondebit Idume
Saltibus, & Syrii referent mea carmina colles.
Interea cœli venientem in lumina Muſam
Nunc prima ex ipſis juvet incunabula cunis

Sume-

Sumere, & imbelles teneram tractare puellos.
 Tu verò, mihi quam fauſtâ Junone dicavit
Sanctus Hymen, ſanctíſque comes Concordia votis,
Grata animo conjux, vitæ ſocia addita noſtræ,
Me quando optatâ feciſti prole parentem,
Nec ſinit alma Venus lentas frigeſcere tædas,
Accipe fæcundi communia pignora lecti,
Qua Tibi ſit ſervare via: ne pallida quando
Membra animus tenueis linquet diverſus in auras
Omnino toti moriamur, at optima noſtri
Pars ſuperet, gelido exutos quæ corpore manes
Componat lacrymans, & juſta noviſſima ſolvat.
 Imprimis venerare Hominum, Divúmque Parentem,
Qui tua non ſterili turgeſcere Semina campo
Concedat bonus, & florentem exornet amænâ
Prole domum, in ſeræ ſolatia blanda ſenectæ.
Huic tu ritè pio memores age pectore grates
Sacra ferens; teneram pacato numine plantam
(Ne dubita) infeſti nulla inclementia cœli
Auferet ante diem, Speratáve gaudia vertet.
Sed ſemper tepidas Zephyris mulcentibus auras
Præſtabunt nitidi Soles, & nubila pellent.
Tu modò cultum adhibe vigil, actutúmque benigno
Lacte riga, & niveis creſcentem prolue rivis.
 Nec mihi diſpliceat quiſquis fuit ille Sophorum,
Qui quondam edixit jucundi ut lactis amicos
Haud alio potiús quam Matris ab ubere rores
Exugat puer, atque alimenta beata capeſſat.

Hoc

Hoc adeò rerum illa parens, hoc optima poſcit
Natura, officiíque pias in tempore matres
Admonet, & ſoboli prudens accingit alendæ.
Quippe ſimul gravidâ genitale reſedit in alvo
Semen, & informis cæpit coaleſcere moles,
Augentur gemminæ felici nectare mamæ,
Collectámque penum venturo & pabula ſervant.
Pòſt ubi jam advenit, vagitúque oris acuto
Implevit cunas miſer, auxiliumqúe petivit,
Ilicet exundans clauſtris erumpere geſtit
Humor, & infirmæ infantis ſuccurrere vitæ
Si prohibes, furit in mammis, turbaſque dolorum
Miſcet, & ingratâ pœnas a matre repoſcit.

Præterea cùm res ab eodem ſemine cretas
Dulcior humorum concordia miſceat ultro,
An cibus eſſe poteſt Naturæ acceptior ullus,
Ipſe ſuo quàm ſi de ſanguine ſanguis alatur?
Sponte fluunt alimenta ſuis accommoda rebus,
Cognatúmque bibunt membra haud invita liquorem
Non illum adverſo pugnans humore morataur
Temperies, via ſed facilis ſe pandit eunti
Ocyus, & lætos meliorem educit in artus.

Aſpicis ut mollem ætatem quæ plurima lædunt
Sæpe mala ad ſolitas pellant ſi quando querelas,
Maternæ tantùm (dictu mirabile) mammæ
Leniter admotâ puerilia ad ora papillâ
Confeſtim ſileat dolor, in ventóſque faceſſat?
Scilicet ipſe ſuo tanquam de fonte medelam

Hauri-

Haurire, & propriâ ſe mergere gaudet in undâ.
Huic etenim jam tum aſſuevit, cùm luminis orbus
Impleret tumidi latebroſa ergaſtula ventris,
In quibus ille idem qui nunc quoque corpus alebat
Humor, & exiles augebat ſanguine venas.
Diverſus tantum color eſt. nam ſede relictâ
Sanguis ubi calido exiliens ſe pectore miſcet,
Et ſurſúm niveis loca glandibus alba pererrat,
Purpureum aſcito mutat candore ruborem
Coctior, híncque novum ſibi lactis nomen adoptat:
Res tamen una manet. Ceu cum Vulcania Pubes
Urget opus, rapidúmque incendit follibus ignem,
Plurima in ardenti candeſcit pruna camino,
Quam ſi fortè avidis libeat ſubducere flammis
Fumantem, & liquidâ totam perfundere lymphâ,
Apparet mutata oculis, poſitóque rubore
Nigricat obſcurâ tinctus ferrugine carbo:
Materies penitus tamen immutata remanſit.
  Ille color porrò, quo non eſt mundior alter,
Convenit infanti niveus, ne more ferarum
Ora tenella cruor, tanquam de cæde recenti
Tingat, & a primis ſitis impia ſanguinis annis
Inſpiret crudelem animum, ſed amabile nectar
Mitiget, & doceat candori aſſueſcere candor.
  Ipſæ etiam Alpinis villoſæ in cautibus urſæ,
Ipſæ etiam tigres, & quicquid ubíque ferarum eſt
Debita ſervandis concedunt ubera natis.
Tu, quam miti animo Natura benigna creavit,

Exuperes feritate feras? nec Te tua tangant
Pignora, nec querulos puerili e gutture planctus,
Nec lacrymas miſereris, opémque injuſta recuſes,
Quam præſtare tuum eſt, & quæ Te pendet ab unâ?
Cujus onus teneris hærebit dulce lacertis
Infelix puer, & molli ſe pectore ſternet?
Dulcia quis primi captabit gaudia riſûs,
Et primas voces & blæſæ murmura linguæ?
Túne fruenda alii potes iſta relinquere, demens,
Tantíque eſſe putas teretis ſervare papillæ
Integrum decus & juvenilem in pectore florem?
Felix illa animi, quam non tenet impius error,
Cui nec amatorem tam cæca libido mereri eſt,
Poſthabitâ ſobole, ut verum maleſanus amorem
Vincat amor, matríſque affectus exigat omnes.
Tu, cui concedunt meliorem Numina mentem,
Sume ultro quodcúnque operæ, quodcúnque laboris,
Ut ſerves opus ipſa tuum, & pia munera præſtes
Quin age (nam me operis digreſſum a limine primo
Non piget hic retro, quo res vocat ipſa, referri)
Ne moneo expectes dum clauſtro exiverit infans,
Sed ſimul extiterint concepti plurima fœtûs
Signa, velut ſolito jam non redeuntia fluxu
Menſtrua, mammarúmque tumor, laxandáque demum
Cingula, quæqúe notant prægnantes omnia matres,
Incipe jam tum operam firmandæ impendere proli,
Ne tua fortè illum remoretur culpa, necíſque
Cauſa eadem fias, vitæ quæ cauſa fuiſti.

Præci-

Præcipuè anguſto ne comprime corpus amictu,
Quo cingunt ſe more nurus quas Gallia nutrit,
Neu miſerum infantem vitæ jam a limine torque
Crudelis, gracili dum te præbere videndam
Corpore aves, pænáſque tui luit ille furoris.
Nec tibi non etiam ipſa noces, corpúſque coactum
Lædis, & hinc illum graviora prioribus urgent
Uſque mala inſontem, quando ipſo in ventre neceſſe eſt
Matris ut affectus proles captiva ſequatur.
Ergo tibi ratio curandi prorſus habenda eſt
Corporis, incluſum geſtas dum corpore fætum.
Et quoniam morbis animi tanguntur & ipſa
Corpora, nempe alio Naturæ abducta facultas
Cùm vacat, & ſolito prohibetur munere fungi,
Unde intemperies, crudíque graviſſima ſucci
Naſcuntur damna, & membrorum fædera ſolvunt,
Vince æſtus animi, nec te immoderata cupido
Triſtitiéſve, metúſve agitent, aut noxia ſæpe
Gaùdia, & infirmam turbant quæ plurima mentem.
Sed ſemper placidum traducas leniter ævum,
Quà potes, & placidi cuſtos blandiſſimus ævi
Præbeat in vacuo facilem ſe pectore ſomnus:
Ille quidem haud nimio torpentia tempore membra
Qui teneat, ſed enim quantum ſatis eſſe videbis
Utere, dum feſſos recreaverit optimus artus
Pellatúrque labore quies, labor ipſe quieti
Cedat, & alternis ambo ſua munera præſtent.
Nec nulla interea nimiæ ſunt damnat quietis.

Quippe ubi & obſtructas vitioſo ſanguine venas
Implet, & ingentes humorum colligit imbres,
Ac vivum denſâ reſtinguit mole calorem.
Nonné vides craſſis reſidet quæ pigra lacunis,
Ut putreſcat aqua, & fætentem exſuſcitet auram,
Lucida ſed vitreo quæ flumine labitur unda
Sufficiat blandos in pocula grata liquores?
Quare aliquo penitus tibi membra labore fovenda.
Motus enim, motúque calor ſtimulatus ab ipſo
Abſumet facile grave ſi quid, inutile ſi quid
Officiat, proléſque novas cùm erumpet in auras
Te leviora manent partûs tormenta, neque illam
Colluvies humorum ingens retinebit euntem,
Et validæ integro ſuperabunt corpore vires,
Eniti quibus, & maturum carcere fætum.
Téque ſimul longâ valeas exolvere curâ,
 Ille tamen labor eſto levis quemcunque capeſſes,
Franget enim haud dubie nimius, viréſque reſolvet.
Quo fit ut aſſuetis interdixiſſe choreis
Inducar facilè, hæc nuribus licet una voluptas,
Omnibus una ferè eſt, omníque ætate palæſtra:
Fors olim toleranda, gravis dum more Sabinæ,
Seu ludos, poſitis agerent ſeu feria ludis,
Perpetuum haud ullâ temerabant parte pudorem,
Atque ipſi intererat ſervata modeſtia ludo.
Nunc modus omnis abeſt, penitúsque inſana puellas
Vis agit Evantes, mentíſque intercipit uſum.
Bacchari credas, neque cum vinoſa Lyæi

Feſta

Feſta vocant alio lymphata furore Mimallon
Membra movet, pedibúſque ſonantia percutit arva.
Neu ſatis exemplis non convenientibus utar,
Crediderim obſcæno ſi qua olim turba Priapo
Sacra fuit, crotalis ubi cymbala miſta crepebant,
Turpia non alio vibrari corpora motu.
Sic totæ exiliunt, ſic dum veſania fervet
Penè ſua excutiunt nudis velamina membris,
Sollicitántque viros, connexáque brachia ſtringunt,
Atque ipſa ante oculos tantum non corpora miſcent
(Proh pudor!) & venerem interea, quæ peſtis acerba
Prægnantûm eſſe ſolet, ſtimulo pungente, laceſſunt.
Vos venerem immodicam, ô matres, ſi cura ſalutis,
Vos venerem vitate: ſibi nocet ipſa ſuúmque
Sæpe retexit opus: cordati qualis Ulyſſis
Uxor amatorum turbam dum fallit hiantem.
Hinc igitur nimii dum ingens violentia ſaltûs,
Illinc & prurigo ſuas agit improba partes,
Sæpe fit ut crudo mater vexetur abortu.
Haud equidem certè immerito: ſed enim ille miſellus
Quid meruit, fædi penitus qui criminis inſons,
Necdum ulla ignoti traxit contagia mundi?
Qui fortaſſe (potens ut Sors agit omnia) magnæ
Summa olim caperet victor moderamina terræ,
Aut etiam arcanas Naturæ quærere cauſſas
Doctus, inacceſſúmque animo pervadere cælum
Spargeret ingentem ſtudiis illuſtribus orbem:
Fata modo impleret, neque in ipſis poneret orſis,

Quam

Quam nequedum accepit materno crimine vitam.
Utque in plebeio lateat ſine nomine cæno,
Ille tamen tua, ſi neſcis, quem viſcera portant,
Ille Dei mundum imperio torquentis imago eſt,
Omnia cui parent animalia, cujus in uſum
Quicquid alunt freta, quicquid humúſque & mobilis aer
Formavit Pater, & ſe illi ſubmittere juſſit.
Et tu depoſitum hoc non totâ mente cavebis
Ne pereat, quo non aliud præſtantius ullum eſt?
Quod ſupereſt, tibi ſit potûs, tibi cura legendi
Summa cibi, & quodcunque legis tamen utere parcè.
Improba ne forte ingluvies etiam optima quæ ſunt
Corrumpat, nimis infirmus cùm mole laboret
Ventriculus, nec jam poſſit ſatis eſſe coquendo,
Cruda nocent genus omne, nocent & ſalſa, malámque
Si quid amaritiem ſapit, ingratúmque palato eſt.
Mollior eſca eadem eſt melior, Cythereïa qualis
Ales, & ingenii faciens ad acumina turtur,
Perdiceſque capíque, & cui dat nomina Phaſis,
Et vitulus tener, & lactens ſine cornibus hædus.
Quòd ſi larga ſinu tellus quæ divite promit
Oblectant minùs, & mutari prona voluntas
Appetit æquoreis veniunt quæ obſonia regnis,
Mollis arenoſâ potius quæratur ab undâ,
Saxa inter, refluóque alti de littore ponti,
Quàm qui limoſo lenteſcit flumine piſcis
Craſſior, & viſco torpentes oblinit artus.
Pelle ſitim lymphis, vel amico pelle Lyæo,

(Præſtat

(Præſtat enim) & tamen hunc multis quoque dilue lymphis.
Nec minus arboreis molles cum fætibus herbæ
Arida ſæpe juvant jucundò corpora ſucco,
Sit modò delectus, ſempérque tenendus in omni
Re modus: at ſervare modum vix contigit ulli,
Vix gravidæ poſſunt animos compeſcere matres.
Sæpe etiam has monſtroſa fames inceſſit edendi
Non tantum viridi immaturos cortice fructus,
Vilia ſed lapidum ramenta, lutúmque fimúmque,
Et cinerem immundum, & carioſi fragmina trunci,
Et quæ præterea vitioſa cibaria mille
Naturæ haud quadrant, alióſque parantur in uſus.
Vidi ego quæ trepidis criſtatæ matris ab alis
Nequicquam arguto crepitantes gutture pullos
Corriperétque ferox, & crudos protinus artus
(Sicut erant) avido crudeliter ore voraret.
Spumabant labra, & miſtis cum ſanguine plumis.
Squallens in gremium ſanies horrenda cadebat.
Non alia eſt torvæ facies truculenta leænæ,
Cùm pellit rabioſa famem, rictúque cruento
Sanguinolenta vorat Lybicos armenta per agros.
Dic mihi Phœbe Parens, tanti quæ cauſſa furoris,
Quóve modo (nam ſcire tuum eſt) quâve arte mederi
Sit fas, ne miſeram perdat cum prole parentem?
Et vos Hippocratis florentes Patris alumni,
Felices animæ, ſeſe quibus optima pandit
Natura, & certas morborum noſcere cauſſas
Indulget, fragilíque hominum ſuccurrere genti,

Ne

Ne veſtris adytis ſacrum prohibete Poetam,
Cui movet idem ille ora Deus, quem veſtra verentur
Sacra, unum Patrémque lyræ, Authorémque medendi.
Principio, quæcunque vigent, fuſâque per artus
Augeſcunt animâ, atque aliquo de ſemine manant,
Vitale auxilium, & recreantia pabula poſcunt,
Atque equidem ipſa ſuo hærentes in corpore ſtirpes
Blanda fovet tellus, & (ne mòdo deſit amici
Aura Poli) præſens alimentum haud parca miniſtrat
Radicum officio, trahitur quibus utilis humor
Paulatim, & toto hinc plantæ ſe corpore miſcet:
Unde ſuus foliis vigor, & viridantia rident
Gramina, & aërias frondens ſubit arbor ad auras.
Quæ vero propriis animalia nata moveri
Senſibus, haud ullis affixa in ſedibus hærent,
Cùm diviſa ſolo vitalem hinc carpere rorem
Non poſſint, aliunde petant alimenta neceſſe eſt.
His ergo illa parens longè ditiſſima rerum
Pro locuplete penu ventrem Natura paravit,
Hic ubi congeſtáſque dapes, externáque condant
Auxilia, infirmæque adſint in tempore ſorti.
Quippe etiam hinc tenues ſe membra in vivida venæ
Diffundunt, radicum inſtar, quibus ille ciborum
It ſuccus, feſſámque inſtaurat ſanguine vitam.
Nec modus aut requies avidis ante omnia venis,
Dum quicquid ſucci eſt ſitis hauriat improba, & omnes
Ventriculi conſumat opes, vacuúmque relinquat.
Quinetiam abſumptis opibus, mox impetit ipſum
(Tantus

(Tantus amor) ſuctúque ægrum divellit iniquo.
Ille ſuis damnis dolet, optatúmque ciborum
Subſidium eſuriens tanto in diſcrimine quærit.
Hinc ille eſt vacuo naſcens in corpore ſenſus,
Appetere eſt cujus proprium, quique acer inani
Seſe infert ſtomacho, & veſcendi inſpirat amorem.
Cujus forte loco vitioſus inhæreat humor
Protinus ipſa loci pro conditione libido
Appetit & vitioſa, malíque ab imagine pendet.
Ergo ubi concæpit mulier, quæque ante fluebant
Menſtrua creſcentis fætûs retinentur in uſum,
Ille tamen docec firmarit tertia Phœbe,
Vix horum exiguam potis eſt depaſcere partem,
Quod reliquum eſt, ſuperas parteis ipſúmque redundat
In ſtomachum, & pravâ ſuffuſum uligine tingit.
Non alitèr quàm ſi oppoſito Pater obice Clanus
In caput ipſe ſuum refluat, vicináque latè
Oblinat exundans informi jugera limo.
Atque ita cum imbutus corrupto humore laboret
Prægnantum ſtomachus, vitioſa hunc ſæpe libido
Corripit, unde malum, Graiis hoc Citta repertum
Exoritur, (noſtri Picam vertere vocantes)
Quando uteri mulier ſub primum ſæpe trimeſtre
Multa inhiat, cæcóque furore ardeſcit edendi
Quæ neque congrua ſunt, neque rectus poſtulat uſus.
Ni faciat, deſiderii (mirabile dictu)
Hæreat inſigne infanti, maculámque relinquat.
Quódque magis mirere, avido dum pectore flagrat,

Quâ ſe parte ſui mulier malè provida fortè
Scalpſerit, ipſe ſui expreſſam feret editus infans
In ſimili quoque parte notam: gravis unde puellis
Sæpe dolor niveo quas turpis in ore figura
Fædat, & in pulchro deformes corpore nævi.
Et quoniam ſecreta ſimul recludere cæpit
Se Natura mihi, libet hanc evolvere totam,
Inſigníſque notæ veras depromere cauſſas.
Hanc utíque optati vehemens molitur imago,
Tota ubi vis collecta animæ eſt, cui plurima ſervit
Spirituum turba & partem glomeratur ad illam;
Qua tactus ciet, atque rei ſecum ipſa cupitæ
Quam gerit effigiem ſubjecto in ſanguine figit.
Dúmque adeo clauſâ fætus latet abditus alvo,
Maternóque idem eſt illi cum ſanguine ſanguis,
Singula ab alterutro conſpirant corpore membra:
Quo fit ut in matrem pariter, martíſque puellum
Spiritus intus agat: ſed cum ſit durior illi,
Mollior huic cutis obſequitur, ſolúſque tenellæ
More capit ceræ facilis quamcunque figuram.
Nunc age, quæ gravidas tanto a diſcrimine matres
Vindicet ars ſimul & pueros, adverte docebo.
Multum adeò prodeſt (modo ne ſint illa venerum
Quæ cupit impatiens mulier) concedere tandem
Nonnihil, & miſero paùlum indulgere furori.
Dum fit enim voti compos, fruitúrque petito
Læta cibo, hìnc totum pertentant dulcia corpus
Gaudia, nativúmque agitant per membra calorem,

Qui coquat humorum omne genus, factóque meatu
Diſſipet in crudo quod corpore lentius hæret.
Deinde acida imprimis, vel acerba, vel acria cum ſint
Quæ fermè optantur, ſtomachum his abſtergere quidni
Fas ſit, & infixam pituitæ avellere peſtem?
Capparis ante omnes, & amaræ ſuccus olivæ
Quæque micant rutilis duro ſub cortice granis
Punica mala juvant, & quæ tulit inclyta Crete.
Quòd ſi adhibenda placent & pharmaca, tu licet illis
Utare, & lapidem moveas haud ſegnitèr omnem,
Dum modò non deſit conſulti fida medentis
Cura tibi: at nugas procul amolitor aniles.
  Omnibus his cæcam poteris depellere peſtem,
Et ſecura mali partum expectare futurum.
Qui cùm aderit, magnâ ter voce vocare potentem
Lucinam eſto memor, totâque incumbere curâ,
Ut ſalvum emittas nullo diſcrimine fætum.
Adſit & obſtetrix, quæ voce, manúque laborem
Sublevet, & ſocio contendat ſedula nixu.
Tum leni ventrem unguento, genitaliáque ipſa
Oblinat, & blando reſoluta tepore relaxet
Clauſtra uteri, & puero venienti limina pandat.
  At tu, ſive toro decumbes, ſive patenti
Seſſilis hærebis cathedræ (quippe utraque tuta
Eſt via) quo te cunque loco paritura locabis,
Forti vince animo que tormina multa vigorem
Frangere conſuerunt, partúmque dolore morari.
Quod ſi tantæ alacri ſuperent in corpore vires,

Stare etiam ut pedibus valeas, erit optima ſtantis
Conditio; nam ſic patulæ planiſſima portæ
Fit via, qua nullo anfractu novus exeat infans.
Tu modò diductis extremam cruribus alvum,
Et genibus paulùm inflexis expandere porrò
Ne dubita, rigidíſque intendere brachia nervis
Interea, & valido ſubnixa incumbere fulcro.
Tantæ molis erit perituram educere prolem!
Has autem meruit primæ veſana parentis
Ambitio pœnas, & juſti numinis iram.
Ille etenim verbo omnipotens qui condidit uno
Omnia, fons rerum atque ævi naſcentis origo,
Cùm mare cùm pictum numeroſo ſidere cœlum,
Libratámque ſuo fundaſſet pondere terram,
Et quæcunque vigent ex ipſâ orientia terrâ,
Omnibus unum hominem præfecerat, omnia ſolus
Qui regeret, mundúmque ſuâ ditione teneret.
Huic etiam dulcis rerum comes addita, quícum
Florentis vitæ pleniſſima gaudia tuto
Partiri, & longas poſſet componere luces.
Hortus erat, roſei quà lucida pandit Eoi
Se Regio, (Edenem dixerunt nomine Patres)
Dulcibus & pomis, & dulcibus utilis herbis.
Lenis ubi Zephyri molles tranquilla per umbras
Aura ſuſurrabat ſemper, cælóque ſereno
Perpetuum tepidi ſervabat Veris honorem.
Hanc ſedem, hæc illis viridaria læta benignus
Indulſit Genitor, lectóſque induxit in agros

Primum

Primum hominem, verbis ſimul hunc affatus amicis.
I, Decus, atque operis meritò ſumma ultima noſtri,
Quæ tibi nunc habitare damus felicia rura
Ingredere, & noſtris actutum veſcere donis,
Quæ fæcunda tibi, & male grati neſcia cultûs
Terra feret caræ jucunda in munera vitæ.
Tantùm (ſi qua tuæ tangit te cura ſalutis)
Huic uni memorem jubeo te parcere pomo.
Dixit & oſtendit pendentes arbore fætus,
Quorum a vivifico rerum orta ſcientia ſucco
Manabat primùm & ſtudia inconceſſa docebat.
Ille Dei monitis, & amico numine plenus
Ibat, & unanimâ cum compare lætus agebat.
Una illis cura ætherium laudare Parentem,
Oblatíſque bonis & libertate fruiſci.
Nondum turpe ſcelus, ſceleris nec debita merces
Prodierat labor, & queruli denſo agmine morbi,
Et curæ vigiles, & inevitabile fatum.
Sed ſimplex animos candor, ſed molle fovebat
Corpus certa quies, & utrinque erat æqua voluptas.
Felices ambo, niſi jam tum infeſta maligni
Dæmonis ars nullum humanis durabile rebus
Eſſe bonum, nullam pateretur vivere pacem.
Hos ille immemores violato ut fædere perdat,
Aggreditur vafer, atque dolos ſe vertit ad omneis,
Ac velut adverſis fætam legionibus arcem
Captat ubi egregius tacito molimine ductor,
Obſervat muros oculis, & ſingula luſtrat,

Num

Num quâ parte minùs firmo ſe mænia vallo
Militibus præſtent cuſpidis, aditúſque pateſcat,
Atque illuc toto irrumpens conamine tendit.
Sic hominum inſidians generi teterrimus hoſtis,
Pectore quòd mulier fragili magis eſſet, ab illâ
Ordiri, & primum placuit facere inde periclum.
 Nec mora, cærulei formâ ſe callidus anguis
Diſſimulat: non ille ferus qui ſtridula vibret
Sibila, tabificóve minax livore tumeſcat:
Sed blando ſenſim irrepens per gramina lapſu
Arboris infauſtæ ramis fatalibus hæſit
Arduus, implicito per mille volumina trunco.
Tum molles aditus, & tempora fraudibus apta
Legit, & humanis demùm ſic vocibus infit.
 Nam quis te mulier tam vanus detinet error,
Ut quos naturæ dedit indulgentia fructus
Ipſa tibi invideas demens, veſcíque recuſes?
Egregium vero imperium, memorandáque jura
Ille parens, uni cui cuncta accepta refertis,
Atque tibi, atque tuo conceſſerit antè marito,
Si vobis genus omne avium, genus omne ferarum;
Atque adeò ingentem penitus ſubjecerit orbem:
Vos autem rerum Dominos ſubjecerit uni
Arboris intactæ pomo, nec mandere ſit fas,
Cujus partem imo tantùm ſi admoveris ori,
Protinus obſcuram videas vaneſcere nubem
Ex oculis, victâque jubar caligine oriri,
Unde boni atque mali divina ſcientia vobis

Pro-

Prodeat, inſignéſque novo jam lumine ſpargat.
Atque hinc (ſi neſcis) injuſti numinis illa
Invidia eſt, dum vos conſortes laudis habere
Abnuit, & pomis ideo præſtantibus arcet.
At tu pone metus, & inania deſpice juſſa,
(Nam potes) erectóque jugum ſimul excute collo.
Aſpicis ut pronâ demiſſus ab arbore fætus
Se virides inter tibi ramos offerat ultrò
Arridens, tangíque tuo deſiderat ore?
Carpe age, & oblati ne reſpue muneris uſum.
Sic ait, occultóque implet muliebre veneno
Pectus, & illicitum veſcendi inſpirat amorem.
Illa levi jam tum ingenio malè provida paret
Ocyùs, & vetito ſeſe contaminat eſu.
Nec ſatis hoc: ſimili incautum capit arte maritum,
Et vocat in partem culpæ: exitialibus ambo
Indulgent epulis miſeri, numénque laceſſunt.
Atque hinc prima mali ventura in ſecula labes,
Dum Pater indignans hæc lumine cernit iniquo
Omnia, & infandos ulciſci accingitur auſus.
Ergo florifero primum expelluntur ab horto,
Succedúntque ſolo triſti, & pro mitibus arvis
Accipiunt duro fodiendam vomere terram.
Hìc ubi protinus irrumpunt aſperrima in illos
Quæque mala, & diræ circumſtant undique peſtes.
Efferáque imprimis venturæ Mortis imago
Imminet, & jam tum trepidantia pectora vexat.
Nec ſpes ulla fugæ, nec amæna in ſepta reverti

Jam

Jam licet: occludunt aditus in limine Fratres
Aligeri, & ſtricto venientibus enſe minantur.
  Vox etiam infenſi tenebroſâ e nube Tonantis
Fulgure cum horrendo ſuperas audita per auras,
Quæ non tantùm illos, ſed ab illis omne futurum
Damnaret genus æternis pro crimine pœnis.
Atque adeò infelix tantorum cauſſâ malorum
Supplicium luit hoc admiſſæ fæmina culpæ,
Ut quoties pareret, parientem mille dolorum
Urgerent ſpecies, infeſtaréntque puſillum
Robur, & optati turbarent gaudia partûs.

Finis Libri Primi.

Scævolæ Sammarthani

PÆDOTROPHIÆ,

LIBER SECUNDUS.

SED jam utero exivit, vagitúque oris acuto
Implevit cœlum puer, auxiliúmque petivit.
Vos agite, ô ſimilis miſeratæ incommoda ſexûs,
Ferte ſimul veſtram huc operam veſtrúmque laborem
Ferte nurus, notæque alacres incumbite curæ.
Pars feſſam optato genetricem imponite lecto,
Pars tenerum infantem tepidis involvite pannis:
Hæc nitidum ſtatuat repetenda in balnea labrum,
Illa paret cunas; opere omnis ferveat ædes.
Túque adeò, gnavæ dux præſtantiſſima turbæ,
Tu fida obſtetrix educti ante omnia fœtûs
Scinde vigil, mediâ quâ pendulus exit ab alvo

Omphalus, & turpi nova pondere membra fatigat.
Utilis antè quidem, dum nutrimenta per illum
Captaret puer, in partes & dideret omnes :
Nunc autem informis, penitúſque ſuperflua toto
Corpore pars, poſtquam jucundæ in munera lucis
Perventum, & melior veſcendi ſuppetit uſus.
Ne tamen accepto puerilis vulnere ſanguis
Profluat, aut tenues vaneſcat multus in auras
Spiritus, augendæ cui vis eſt inſita vitæ,
Stringe prius lanâ molli, cæſum inde recentis
Colline maſtiches & olentis pulvere myrrhæ.
Hâc olim, ut perhibent, hæſerunt parte gemelli
Fæmina Virque ſimul, duplicíque in corpore corpus
Unum erat: exempto dehinc ſingula corpora nexu
Quæque ſuos habuere artus & libera membra.
Uſque adeò humanæ nulla eſt conſtantia ſortis.
Nec minùs interea juvet hîc prudenter acuto
Servare obtutu, quæ plurima ſigna futuram
Naſcentis pueri vitam manifeſta notabunt.
Debile neſcio quid querulo ſi vagiet ore
Languidus, & lenti fugitiva ſubinde faceſſet
Vis animi, hinc illum invalido de ſemine cretum
Conjicias licet, aut captivum alimenta bibiſſe
Noxia, maternâ vel cum prodiret ab alvo
Colliſum nimiis infirmos niſibus artus.
Omnia quæ inſtantis præſagia certa periclî
Matribus eſſe ſolent. Tu feſſa amplectere amico
Membra ſinu, infeſtúmque cave pro tempore cœlum:

Si

Si ſit hiems, ſuccede foco: Si ſæviat æſtus,
Quære levi Zephyro loca pervia, & utile præſens
Antidotum interea puerilibus inſere labris.
Quale quod inventum eſt magni memorabile Regis,
Pontica quo viguit virtus, multóſque per annos
Romuleum ancipiti remorata eſt marte triumphum.
Nec fruſtra faciunt qui dulci mollia vino
Labra rigant, vino antidotum vix certius ullum eſt.
Tu verò faciem ſi langueſcentis anhelo
Ore foves, animâque tepens afflante vaporas,
Forſitan hâc illi ante omnes ratione mederi,
Collapſúmque animæ poſſis recreare vigorem.
Quóque magis patuli ſe temperet halitus oris,
Quam prius incipias leniſſima pectore flabra
Ducere, & in pueri torpentes mittere vultus,
Cinnama, vel ſi quid, quam Cinnama ſuavius uſquam eſt,
Dente tere, & purum hinc fragrantior aera mulce.
Quæ ſi nil proſunt, parvóque a corpore vires
Abſcedunt magis atque magis, penitúſque fatiſcunt,
Haud dubiè pallens ipſo jam in limine Parca
Inſtat, & horrifico venientem deſtinat Orco.
Quem tu cunque illi impendes ſtudioſa laborem
Effluet incaſſum, & ſpem eventu eludet inani.
Sin vitalis erit partus, jucundáque vitæ
Nutrimenta aliquo laterum jam robore poſcet,
Eia age ne grato incumbens hîc parce labori.
Ac primum quoniam immundo de carcere ventris
Contraxit toto hærentes in corpore ſordes,

Balnea ſunt adhibenda, quibus purgata colorem
Accipiat cutis, & poſito ſquallore niteſcat.
Non quo more tamen (ſi vera eſt fama) ſolebant
Germani veteres, rigido Gens una labori
Dedita, quæ teneris Martem ſpirabat ab annis.
Namque recens natos, matríſque a ventre calentes
Protinus in gelido glacialis gurgite Rheni
(Haud ſecus ac vivo candens in flumine ferrum)
Mergebant, cælíque minas, inimicáque miti
Frigora naturæ à primâ jam ætate docebant
Spernere, & humanos durare immaniter artus.
Quod quicunque pati potuere, neque algida membra
Deſeruit ſubito vivus calor; ilicet illos
Caucaſeis ortos de rupibus eſſe fatendum eſt.
Non illis ego fæmineas concedere mammas
Suſtineam: tales Gangetica Tigris alumnos
Vendicat, & duris geſtit nutrire ſub antris.
Tolle ferum morem, & meliores elige ritus.
Ipſa etiam doctis jamdudum exculta Camænis
Hunc fugit, atque animos Germania damnat avorum.
Quàm melius tepidâ infantem luſtraveris undâ!
Atque equidem hæc ſatis eſt, nec me non judice multi
Quæ miſcere ſolent contemnere cætera debes.
Tantùm, ſi tenero vis fortè illata puello,
Liventes inter pariendum oppreſſerit artus,
Adde roſas molles, & amæni veris amicam
Anthemida, & viridi naſcentem in cortice muſcum:
Et quæ præterea membris magis apta levandis
Eſſe

Eſſe ſolent, nimio ſi quándo labore graveſcunt.
Interea exiguas parvis cum naribus aures,
Atque oculos, ipſúmque manu purgare palatum
Expedit, & leni digitorum abſtergere preſſu,
Atque rudes animæ imprimis aperire meatus.
Dumque adeò egelidis reſoluta liquoribus ipſa
Molleſcunt membra, & dedunt ſe mitibus ultro
Obſequiis, lentæ in morem tu flectere ceræ
Sis memor, & rectâ quæque exæquare figurâ
Perpoliens, ut primi hominis cùm duceret olim
Divinam effigiem (quiſquis fuit ille Prometheus)
Spirantem artifici lævabat pollice terram.
Ni facis, incaſſùm hoc ſtudio tentabis inani,
Poſtquam obduruerint annis venientibus artus.
Quinetiam, ſibi mox durari primula debet
Arte cutis, calido ne fortè recenter ab antro
Editus inſueti frigus penetrabile cæli
Non ferat, & totis miſer artubus horreat infans.
Ceu Libyes olim ſitienti e rure viator
Cùm petit Arctoos mutato ſidere tractus,
Horret ad algorem inſolitum, & Borealia flabra
Ferre nequit, denſo niſi tegmine muniat artus.
Ergo cutem ut raram poſt mollia balnea denſes,
Hanc totam ſalis albiduli continge minuto
Pulvere, nec prima interea cunabula deſint,
Linteáque & panni, levibus ſuperaddita pannis
Faſcia, multiplici quæ molle volumine corpus
Vinciat, æqualíque ſuper diſcrimine ſerpat.

Jám-

Jámque fatigatum tantíſq; laboribus ægrum
Tempus erat puppum optato permittere ſomno,
Sed quia difficilem jejuno ventre ſoporem
Eſſe docent vacuo errantes in corpore vanæ
Umbrarum ſpecies, & inania ſomnia veri,
Paſce aliquo prius ora cibo: neque dum tamen iſta
Sit ratio, ut quod alat multum ſpectare labores
Elige quod purget potius, præque omnibus unum
Elige, mellificæ vario quem e flore volucres
Divinum aerii concinnant roris honorem.
Nec tantùm Hybla tibi, nec tantùm pulcher Hymettus,
Aut quæ melliferas felix alit India cannas
Mel dabit eximium, & cæleſti munere paſcet;
Ipſa etiam ex omni quæ parte beata ſuperbit
Gallia (præſertim quà diti Martius Oræ
Dat nomen Narbo, & Genium cum nomine ſervat)
Sufficiet, quo non aliæ precioſius ullum
Fundunt nectar opes, nivei ſeu cura coloris,
Sive ſaporis erit qui Sacchara dulcia vincat.
Corpore purgato, ſupereſt mandare quieti,
Molliter & ſtratis ad ſomnum imponere cunis.
Tu verò pariter fuge frigoris atque caloris
Expertem thalamum: nimio de frigore manant
Rheumata, Spiritibus calor officit; omnia iniquo
Sunt extrema loco, medio via tramite tuta eſt.
At muliebre modo ingenium cùm neſciat uti,
Parte ferè hâc peccare ſolet, dum infantis ineptam
Curam agit, ut pluſquam ſatis eſt loca frigida vitet

Sem-

Semper, & immodico nova membra calore reſolvat.
Unde graves Matrum gemitus, cùm dulcis adempta
Spes perit actutum generis, viduáſque reliquit,
Auctus erat ſexús melioris parte cupitâ
Franciſcus, quem magnanimi gens Martia Bruti
Extremum eſt venerata Ducém, quà flumine largo
Labitur Andinæ Ligeris fæcunda relinquens
Arva plagæ, pontúmque ſubit pulcherrimus amnis.
Succeſſúque novo læti ſacra templa Parentes
Et celebres donis onerabant grandibus aras,
Hæredémque ſenes patrii ſpectare juvabat
Imperii, & ſeros quod nomen abibat in annos,
At puerum nimiâ dum ſedulitate tuetur
Cæcus amor, neu ſopitum fortè aſpera lædant
Frigora, liberiore frui vetat aëris hauſta,
Perdidit heu miſerum infelix! & merſit acerbo
Funere, ſpémque ſimul ſervandi nominis omnem
Amiſit: quippe orba illis ſuperavit in aulâ
Fæminei tantum neglecto ex ordine ſexûs
Extremos olim ſoboles aditura Hymenæos.
Nempe importuni ſenſim traxere calores
Spirituum intus quicquid erat, vitámque fovebat.
Qui dum abeunt, vivi ſimul eduxere caloris
Nativos ignes, neque jam udi tempore ſomni
Affuit infirmo ſtomacho ſatis, unde caleret:
Atque ita cum graciles corrupto ſanguine venas
Crudior impleret ſuccus, fugitiva reliquit
Languidulos artus anima, in ventóſque receſſit.

Illum

Illum adeò indignâ claudentem lumina morte
Oceanus Pater ut vicino è gurgite vidit,
Ingemuit, luctùmque ducis comitatus amici
Non tenuit lachrymas Deus, indulſitque dolori.
Illum & Aremoricæ fuſæ per triſtia Nymphæ
Littora lugubri cum carmine defleverunt.
De quibus una, quid ô tamen hæc lamenta ſorores
Funditis, & vano turpatis flumina fletu?
Scitis enim (nec Cæruleas cæleſtia fallunt
Fata Deas) quanta hoc damno ſors æqua rependat
Commoda, ſe quibus Armoricum ſuper ardua nomen
Aſtra ferat, noſtrúmque novis ſucceſſibus æquor
Creſcat, & Adriacis merito ſe præferat undis.
Nempe dies erit, elato cùm ſola ſuperſtes
Anna Patri, egregio pulcherrima corpore Nympha
Francorum auguſtum Regem felicibus urat
Ignibus, & tanti mereatur Conjugis eſſe
Digna Comes; ſéque illius ſub jura, ſuúmque
Imperium placito populorum fœdere tradat.
Unde Genus, miſtâque olim de Gente Nepotes
Subcreſcent Vallæſiadæ, longè optima bello
Pectora, nec ſacri non obſervantia Phœbi:
Quorum per varios virtus invicta labores
Antiquæ Auſoniæ tumidos premet æmula faſtus,
Totamque ipſa ſuo ſubet ſibi tempore terram.
Et nos tantorum decorum, laudíſque futuræ
Partem aliquam juvat eſſe, neque hâc mercede potenti
Dotales pigeat Celtæ ſervire Britannos.

His

Hís dictis erecti animi, curæque remotæ.
Ille tamen jacet interea, teneróſque per artus
Marceſcit, flos ut nimio dejectus ab imbre,
Quem gremio vixdum ediderat mitiſſima tellus.
Ergo, ne ſimilis tua caſus gaudia turbet
Ducentem placidos exili pectore ſomnos
Ne penitus prohibe infantem felicibus auris.
Dum porrò ducit ſomnos, age provida Mater,
Corpore quos toto partûs fecere labores
Paulatim requie blandâ compone tumultus,
Ut jam experrectum, lactíſque alimenta petentem
Tutius ipſa tuo non ingrata ubere paſcas.
Donec enim fuerit luxatis reddita membris
Temperies, nunquam id tutò præſtare licebit.
Nec verò niſi jam pietas in pectore nulla eſt,
Languida ſic cæcæ caligant lumina mentis,
Ut fidei mavis alienæ pignus alendum,
Credere, quódque negas mater, venalibus illud
Sperandum eſſe putes, demens, nutricis ab ulnis.
Si tamen, optato prohiberis munere fungi,
Sive quod ægra negas oneri ſatis eſſe ferendo,
Sive quod ipſe dolet puer, & fortaſſe verendum eſt
Morbida ne infirmi lædant contagia matrem,
Quæ tibi ſit nuctrix aliunde petenda docebo.
Elige quæ media eſt inter juvenémque ſenémque:
Quæ gracilis, nec macra tamen: cui vividus oris
Eſt nitor & ſano veniens in corpore robur:
Brachia longa, patens pectus, proceráque cervix,

Quæque rubent teretes extanti tubere mammæ,
Unde pluit nivei quantum ſatis imbris, & illi
Delectus ſuus eſt, ratióque haud omnibus una.
Optimus eſt dulcis lactis ſapor, optimus albi
Eſt color, ingratum fugio quod ſpirat odorem,
Et quod ſi ungue probes, aut craſſum lentius hæret,
Aut fluidum cadit: illud item memor aſpice pondus
Ne nutrix gerat, exacti neu tempora fætûs
Longe abſint, neu crudum ægra projecerit alvo:
Deníque non animo, non corpore ſordida honeſtè
Se ſe habeat, durúmque hilari fuget ore rigorem.
  Forſitan & puerum procul amandabis ad illam:
Nempe tibi infirmæ ætatis ne incommoda mille
Suaves abrumpant ſomnos & gaudia turbent.
At ſaltem, niſi jam affectus planè exigis omnes,
Quæ miſeræ ſoboli carpenda ſit aëris aura,
Quærere ne pigeat matrem, ætatíque tenellæ
Proſpicere, atque gravis vitare pericula cœli,
Quale ferè eſt quà pigra palus, limoſáque circum
Stagna ſedent, craſſáſque exhalant fumida nubes.
Sed neque tuta ſatis domus, optandíve penates
Hîc ubi ſiderei radiis malè pervia Phœbi
Convallis denſos inter jacet infima colles.
Illa placet campi quæ ſeſe attollit aperto
Æquore, cui ridet tranquillis aura ſerenis,
Cujus & Eoä cum primùm emerſit ab undâ
Sol novus albenti lucentes manè feneſtras
Intrat, & aurato perfundit lumine tectum.

At

At quæcunque novi curam meditare puelli,
Seu Mater, ſeu tu Nutrix aliunde petita es,
Abſtineas Venere & Baccho, nec iniqua laborum
Tædia, nec triſtes animi non effuge curas.
Ne tamen interea nimiæ ne crede quieti,
Læta ſed exerce moderatâ membra palæſtrâ,
Et virides interdum hortos, loca dulcibus auris
Grata pete, ante epulas & primæ tempora menſæ.
Nec pudeat famulas inter ſecreta latentem
Munia obire domi, ſeu molles ſternere lectos,
Seu ſit opus vili purgatam furfure maſſam
Pulvereâ in mactrâ nudis verſare lacertis,
Aut tenues ſtupas, aut album pectere linum.
Cùm verò accinges te operi, laticémque recludes
Dulcifluum, teneróque alimenta parabis alumno,
Primula ne infelix ad pocula nauſeat infans,
Si quæ forte udo contractæ a tubere ſordes
Infecere ſinum, has tepidis ante omnia lymphis
Elue, quodqúe tibi manabit ab ubere primum
Progjice lac: primi jactura facillima lactis.
Quippe cutis ſummæ extremis quod partibus hærens
Longius a vivo nativi fonte caloris
Diſtat, & impuro muceſcit inutile ſucco.
Quóque rudem edoceas magis, ignarúmque bibendi,
Rore riga niveo invitans, & mollia in ora
Fontibus e geminis purum ejaculare liquorem:
Arripiet mox ipſe avidis libata labellis
Pocula: neu parvæ, nova dum vix incipit ætas,

Deficiant vires, & fruſtra optata capeſſant,
Profuerit leni turgentes pollice mammas
Interea premere, auxiliúmque afferre trahenti.
 Non tamen ut penitus largo ſe proluat hauſtu
Crediderim fas eſſe: epulas moderare fluenteis,
Et conceſſa nega, & rurſum concede negata
Ubera, paulatímque avidum compeſce morando,
Qualiter accipitrem dum ſedulus educat olim
Sive Rhodi, ſive æquoreus celſæ incola Cretes
Paſtum interpellat remorans, quáſque obtulit aufert
Ablatáſque ſubinde dapes & pabula reddit:
Ne fortè immodicâ volucris ſe ingurgitet ardens
Ingluvie, & bene vix guſtatam devoret eſcam.
 Præterea vigili ſtudio perpende quid ætas
Quæque ferat, quid temperies non omnibus una
Nempe recens natis primóque fruentibus ævo,
Aut quibus eſt tenue infirmâ compagine robur
Parcius indulgere velim, quàm pluſcula ſi ſint
Tempora, & in vegeto non deſint corpore vires,
Nec tibi quoque die lactandi certa puelli
Tempora præſcribo: ipſa ſibi Natura magiſtra eſt,
Hanc ſequere, & quoties queruli vagitibus oris
Poſcet opem miſer, huic fer opem haud invita roganti.
Nec pigeat ſtrophio toties nudare ſoluto
Rorantes mammas, & te præbere bibendam.
 Non illum non uſque tuo ſola ubere paſces,
Adveniet tempus, nec te mora longa manebit,
Poſtquàm Luna ſuum bis quarta impleverit orbem,

Cùm

Cùm primi incipent creſcenti emergere dentes,
Qui ſólidas adhibere epulas, lactíque ſubinde
Parcere, & alternis paſtum variare monebunt:
  Hic autem gravibus multúmque valentibus uti
Nolo cibis, molli ſtomacho ne fortè tumultum
Commoveas, largo neu plenæ ſanguine venæ
Spirituum occludant aditus, & corpora turbent.
  Illa etiam ſuavi quæ ſunt jucunda ſapore
Sæpe nocent, blandáque ipſam dulcedine fallunt
Naturam, grati quæ tacta libidine ſucci
Quàm prius acceptam ſtomachus confecerit eſcam
Arripit hanc avidè & venas partitur in omnes.
  Quid quod & in bilem facilè ſe dulcia vertunt
Et varios generant vermes, niſi juſtus eorum
Sit modus? at ſervare modum mortalia nunquam
Ingenia, aut juſtum quid ſit perpendere norunt.
Cúmque ferè tales cupidiſſimus appetat infans
Ore dapes, tenera his ultro corpuſcula replent.
  Illum ego mutati ſub primula tempora victûs
Laudo cibum ante omnes, lacti quem noveris ipſi
Perſimilem; neque enim ſubitò quæcunque novantur
Uſque adeo ſunt tuta, niſi his aſſueſcere diſces
Arte aliquâ, & mediis paulatim extrema petantur.
Hinc uſum & liquidi commendant juris, & ipſo
Panem e jure probant, mollémque ante omnia pultem,
Sedula quem nutrix dilutâ lacte farinâ
Condit, & igne coquit, ſummóque ſubinde calentem
Attollit digito, & tepidâ flans temperat aurâ,

Ut

Ut patulo cupidi mox ingerat ore puelli.
  Nec minus in tenues panem diſtringere micas
Sæpe ſolent, pinguíque aliquo ſeu jure placebit,
Seu lacte, aut oleo Græcæ nucis, aut butyro
Incoquere, & teneris epulandum inferre labellis:
Dum parvæ incipiant paulatim accedere vires,
Et ſolidæ carnis proſit veſcentibus uſus:
Quam nitido minuens cultello in fruſta ſecabis
Tenuia, gingivæque operam præbebis inermi,
  Nunc ergo e geminis deducto fonte corymbis,
Nunc quæſito aliunde cibo ſaturabis alumnum.
Cúmque tibi duplex paſcendi copia largè
Suppetat, huic ſuccurre lubens alimenta petenti,
Dummodo fallaci non decipiare querelâ:
Sæpè etenim non ipſa ſitis, non ardor edendi,
Sed lacrymas crudis ægri movere dolores.
Ah ne paſcendi teneat te tanta cupido,
Intempeſtivis oneres ut debile corpus
Importuna cibis, & quod rerum optima nutrix
Creſcentis vitæ Natura paravit ad uſus,
Perniciem in ſummam, & vitæ diſcrimina vertas,
Hinc etenim ingrati vomitus, & cætera ſecum
Quæ gravis apportat ſatias incommoda ſurgunt.
  Ergo vide quanto a paſtu jam tempore diſtes,
Num tumeat duro diſtentus pondere venter,
Crudus an albiduli ſaccati appareat humor,
Quæ tibi ſi comperta, licet puerilis ad aures
Uſque ſonet clamor, tamen hunc fuge paſcere porrò

Donec confectas penitus deprenderis eſcas.
Nec nulla interea eſt moderati gratia fletûs:
Purgat enim in cerebro ſi quid grave ſi quid aquoſum eſt,
Dúmque animam pulmo pueri diſtentus anhelat,
Pectora dilatat clamor, vivúmque calorem
Incendit ſtomacho, ſtudiúmque irritat edendi.
Ne tamen & nimio tenerum conamine corpus
Rumpat, & affectus animi jam ſentiat ægros,
Illum demulce oblectans, placidúmque ſoporem
Concilia, motis ad blandula carmina cunis.
Tu verò gravis interea fuge damna veterni,
Tu fuge torporem, neque dulci fide veneno.
Scilicet hoc omni jam tum ratione cavendum eſt,
Parvula ne multo membra ex humore laborent.
Hinc ut mane novo fugit ſopor, humida laudant
Balnea, nec tantum his abigunt a corpore ſordes,
Imbecilla quibus temere ſeſe inquinat ætas,
Sed tenerum exercent corpus, dum creverit infans,
Et ſua jam pedibus certis veſtigia figat.
Nec minus inde agita, ſublatáque mollibus ulnis
Interdum exerce leni corpuſcula motu,
Multa hilari ſimul ore jocans: neque clauſa reconde
Uſque domi in latebris, ſed apertas defer in auras,
Dum nullæ ſudo nebulæ, dum purior æther,
Et nitidum lenes ludunt per inane Favoni:
Ut cælo & variâ gaviſus imagine rerum
Aſſueſcat luci puer, Authorémqne, potentem,
Quà potis admirans, primis agnoſcat ab annis.

Verum

Verum age, ne te ullâ non doctam parte relinquam,
Dicendum & noto lactantis ab ubere matris
Tempore quo potiùs divellere fas ſit alumnum.
Nulla quidem incertæ præſcribi regula vitæ
Certa poteſt, ita Sors mutabilis omnia verſat,
Spéſque hominum dubias, & inania pectora ludit.
Quod ſi ſponte meâ Dii me componere curas
Forte ſinant, fædâ neque victa libidine nutrix
Intempeſtivi turgeſcat pondere fætûs,
Funere nec propero, nec obortis languida morbis
Deficiat, ſané tenerum non ante puellum
Ablactem, gremio altricis non antè revellam,
Quàm ſua bis vertens veſtigia fecerit annus.
Tunc etenim paulò jam firmior incipit ætas,
Tunc opus innatos nutrire valentiùs ignes,
Et potiore cibo lactis mutare liquorem.
Ah quantos animi, quantos & corporis æſtus
Parve feres! quanto gemitu cœlum omne replebis,
Flebilis, ereptos cùm ſuſpirabis amores!
Non aliter vinc'lo ſociata puella jugali,
Publica fortè virum ſi res in bella vocavit
Longinqua invitum, & cupidis divulſit ab ulnis,
Amiſſæ deſiderio dulcedinis ægra
Mœſtóque abſentis miſerè deperdita luctu,
Liquitur in lacrymas, & quæſtib' omnia complet.
Diſce pati, puer: ætherias hâc lege ſub auras
Naſcitur infelix hominum genus, ut mala ſemper
Dura ferat, triſtéſque in luctibus exigat annos.

Atque

Atque hoc (ſi memor es) jam tum te fata monebant,
Cum feſſam exonerans decimo ſub menſe parentem
Signâſti querulis primos vagitibus ortus.
Ergo modum ut poſſint venturo afferre dolori,
Se removent oculis ac rarius ubera promunt,
Atque ſui altrices paulatim olivia præbent.
Sæpe etiam ingrato contingunt felle papillas,
Triſtis ut a ſuctu ſitientem avertat amaror:
Jamque alios adhibent potus, & lacte remoto
Proſpiciunt aliunde, ſuus ne deſerat humor
Corpora: nec verò me judice mollibus annis
Convenit igniti penetrabile nectar Iacchi.
Sed puræ potius lymphæ liquor, inde receptæ
Molleſcunt epulæ ſtomacho, ſeſéque reſolvant,
In graciléſque fluant nullo diſcrimine venas.
Nec mora jam vegetum cernes adoleſcere corpus,
Jam ſignabit humum pedibus, jam reddere voces,
Téque duce incipiet tum res, tum nomina rerum
Diſcere, & ipſe ſuas depromere pectore curas.
At quoniam ex affectu animi mortalia pendent
Corpora, te ſi tangit honos creſcentis alumni,
Divinum imprimis animum rege, nec ſine porrò
Delabi in vitium, verget quo debilis ætas.
Quin magis ipſo uſu Naturæ ut ſemina vincas,
Lentum urge, triſtem exhilara, moderare calentem,
Blandiciis non vi, ne dum contraria vertis
In ſtudia invitum, ſimul ægra in tædia pellas.

Atque equidem egregiis ni Mars ferus obſtrepat orſis,
Et vetet incœptos longè producere cantus,
Non erat hîc vati ratio ſolius habendæ
Corporis, at rectos etiam componere mores,
Et meliorem hominis partem curare decebat.
Hoc meus hortatu jamdudum expoſcit amico
Ille ſui flos ævi, heroum e ſemine cretus,
Scaliger, unanimi mecum quem fædere junxit
Ipſa olim virtus, teneris utrique ſub annis
Culta diu, & nullâ gaudentes fraude Camænæ.
Scilicet & tempus veniet cùm talia dicam,
Si modò grata meis aliquis Deus ocia rebus
Afferet, & faciles venient ad vota ſorores,
Quæ me Pierio infantem lavere liquore,
Nec dum adeò tentatum ulli, fæcunda tot inter
Ingenia, & ſummos aluit quos Gallia vates,
Promiſere mihi integrâ de fronde coronam.
Vix tamen interea quicquam ſum grandius auſus.
Ecquis enim eſſe ſuæ potuiſſet ſpontis iniquo
Tempore civilis gravia inter tædia belli?
Quippe ſimul ſolio infelix ſucceſſit avito
CAROLUS, & fletu præſago regia tinxit
Sceptra puer, regni auſpiciis lugubribus uſus,
Ilicet infernis tritiſſima venit ab antris
Tiſiphone, & cæco turbavit cuncta tumultu.
Cujus pars nonnulla fui, ſic dura ferebat
Tempeſtas, rerúmque vices, Phœbíque remiſſus

Ardor

Ardor, & in pretio quæ tunc erat altera laurus,
O quantum ætatis damna inter talia, quantum
Ingenii nobis periit! dum incerta ſequentes
Irrita nunc palpant fugitivæ fædera pacis,
Nunc infeſta premunt redivivi tempora belli.
Sic hyeme in mediâ, dubii ſic languida ſolis
Lumina fortè micant, minimo vix tempore durat
Fulgor, & incerto redeunt ſua nubila cœlo.
Quid quod & illum, animæ pars qui dulciſſima noſtræ
Nuper erat, quem ipſis oculis, ipſóque ferebam
Pectore, qui me oculis unum, qui mente ferebat,
Flore ævi in medio (proh Jupiter) impia bella
Damonem rapuere? meas, cariſſime Damon,
Tecum delicias, mea tecum tota tuliſti,
Gaudia, nec noſtrum ſine Te jam vivere vita eſt.
Aſpicis ut deſiderio turbatus inani
Languida membra traham, feſtinatóſque moleſtæ
Ante diem incipiant canos accerſere curæ?
Illa etiam quam Tu quondam laudare ſolebas
Muta ſilet chelys aut querulis ſi forte quid audet
Carminibus, ſolùm tua triſtia fata retractat
Illacrymans, neque ſanguinei diſcordia Martis
Prœlia ſic illam, tua quantùm funera turbant.
Qualis ubi amiſſos caræ telluris honores
Imbribus hibernis deflevit nubilus æther,
Si quis in aprico ſervetur floſculus horto,
Qui nondum infeſtas hyemes & frigora ſenſit,

Illum omnes fixis unum admirantur ocellis
Lucentem, exactíque ſubit nova veris imago:
Sic inter fæda impuri contagia ſec'li
Caſtum illibatæ ſervans probitatis amorem,
Antiquum niveis renovabis moribus ævum.
Cûmque tibi ſummos apud eſſet maxima Reges
Gratia, tu carum interea fidúmque ſodalem
Ornabas bonus, & fortunæ in parte locabas.
Auſpice te a rebus quæ mens aliena gerendis
Aoniâ longùm deſederat abdita ſylvâ,
Utilis ipſa ſuo gaudet nunc munere fungi.
Hinc adeò me nec natalis linquere terræ
Dulce ſolum, & tenues mecum advectare penates
Pictavium, huc quando me publica cura vocabat,
Nec ſtabilem electo piguit lare figere ſedem.
Parce tamen deſiderio ſuaviſſima, parce
Juliadum tellus (patrius nam Te quoque noſtri
Tangit amor) faxo nobis te prima dediſſe,
Nunquam ut pæniteat jucundæ exordia lucis.
Te licet inſigni popularis honore Macrinus
Ornarit pridem, Æoliâ notiſſimus ille
Arte Senex, Latiæ qui per veſtigia gentis
Primus iit, lyricíque fuit laus altera plectri:
Non tamen e noſtro nullum tibi carmine nomen
Spero fore, auſpicibus ſuperis: mea ſtamina tantùm
Lanificæ ante diem parcant abrumpere Parcæ.
Jámque (ſed haud illi ſum credulus) inclyta vatem

Gallia

Gallia me dicit, patrio ſeu ludere tractu,
Sive per Auſoniæ campos libet ire Camænæ.
Tu modo (nam famæ jus te penes omne perennis)
Grata fave mihi Poſteritas, quémque auſpice Phæbo
Non ſine felici tibi mandant omine Muſæ,
Accipe manſurum ventura in ſæcula vatem.

Finis Libri Secundi



Scævolæ Sammarthani

PÆDOTROPHIÆ,

LIBER TERTIUS.

HINC ego quæ dubiæ jam primo a limine vitæ
Debilia infantum ſubeant corpuſcula peſtes,
(Quandoquidem hæc noſtræ ſuperat pars ultima curæ)
Expediam, & teneris quæ ſit medecina docebo.
Pauca tamen ſequar, ignotum ne forte per æquor
Longius errantem externo ſub ſidere nautam,
Inſani abripiant Euri, pellántque latenteis
Incertum in ſcopulos, & vaſto gurgite mergant.
Tu mihi ſive Deli materna cacumina ſervas
Sive iterum humanæ correptus imagine formæ
Demulces querulâ Peneïâ litora cannâ,
Huc Pater o Thymbræe (tuas hic pandimus artes,

Ipſa

Ipſa parens medicas Tibi Tellus educat herbas,
Te triſtes fugiunt morbi, tibi ſemper adhæret
Fida Valetudo comes, & jucunda Voluptas)
Huc ades, ignarúmque viæ ne deſere vatem,
O Pater, audentémque animis atque alta petentem
Dirrige, neu pigeat toties in vota vocari.
Ecce mihi aſſurgunt paſſim applaudúntque canenti
Matres atque viri, quorum pia pectora tangit
Prolis amor, quernáque intexunt fronde coronam
Servanti cives, & funera acerba moranti.
Ne deſint, patriæ exhauſtæ qui publica damna
Informéſque olim poſſint ſarcire ruinas,
Impia quos rabies & civicus eddidit enſis:
Dum fas atque nefas vertêre inſana potentum
Diſſidia, & cæcos populo injecere furores,
Quorum ſi nullus modus eſt, noſtrúmque cruorem
Mars avidè ſitit, & Gallorum evertere Gentem
Immeritam parat, ac civili exſcindere ferro,
Quid tandem juvet has pueris impendere curas,
Et velut ad cædem innocuas ſervare bidentes?
Scilicet ut matura viros ubi fecerit ætas,
Mutua in arma ruant morituri, & ſanguine fuſo
Sufficiant belli furiis & pabula præbent!
At certè meliora manent nos fata, neque augur
Fallor ego, & lætum video mox affore tempus,
Cùm feſſis redeat pax optatiſſima Gallis,
Aureáque exurgant HENRICO Principe ſec'la:
Quem cælo nobis Juvenem Pater ipſe Deorum

Miſit

Miſit, ut afflictis veniat ſuccurrere rebus.
Nos igitur magnis quo jam proceſſimus auſis
Incæptum pergamus iter, gratúmque laborem.
Hei mihi quam variæ circumſtant me undique peſtes?
Non ſecus ac vaſtis Libyæ torrentis in oris,
Bagrada quà ſteriles findit ſinuoſus arenas,
Olim ut fortè viam deſerto in litore carpſit
Venator Numida, aut ſaltus ſe immiſit in altos,
Mille illi occurrunt facies & mille ferarum
Agmina, nunc torvis oculis leo, nunc fera tigris
Emicat hinc pardus celer, hinc ardentia pictus
Ferga draco, & multus non uno e ſemine ſerpens,
Ille animi dubius partes ſe vertit in omnes
Nec bene ſcit tanto numero, quod deníque primum
Aut petat, aut caveat monſtrum, perterritus hæret.
Sic mihi morborum ſubeunt examina mille,
Nec quæ prima meis, quæ debeat ultima telis
Præda peti certum eſt: dubio mens fluctuat æſtu.
Atque equidem ſine lege; ut apes quæ proxima libant
Rura vagæ, mihi ſic morborum ut quiſque canenti
Se forte obtulerit (quid enim eſt incertius illis?)
Hunc referam, nullúſque mihi ſervabitur ordo.
Jámque adeo ne te per longa exorſa moremur,
Sæpe recens natis mediâ qui abſcinditur alvô
Omphalus, acceptæ jucunda exordia lucis
Turbat, & haud unum accerſit per membra dolorem.
Sive recens vulnus, ſeu non ſervata ligandi
Vulneris apta ſatis ratio preſſum arctius urit:

Seu

Seu queruli fletus, aut tuſſis anhela fatigat,
Infirmúmque agitat crebro luctamine corpus.
Unde fit humorum partem concurſus ad illam,
Quæ dolet, atque ipſum teſtata rubore dolorem
Tota tumet, rapidóque ardens incenditur æſtu.
Quandoquidem duce Naturâ velut agmine facto
Spiritus huc ſanguíſque ruunt, affectâque membra
Pro ſe quiſque juvare, malúmque evincere certant,
Copia tum verò ipſa nocet, dum vulnera circum
Fervet, & inſanos movet importuna tumultus.
Sæpe etiam, clauſo quoniam dum ventre lateret
Captivus puer, hâc humorum parte ſolebat
Reddere, in id porrò inſiſtit, Naturáque moris
Nondum oblita ſui, quo cæpit tramite pergit.
Hinc autem tumido inflatu diſtenditur æger
Omphalus, & vitreâ turget pellucidus undâ.
Quid quod & hinc aliquis læſit ſi fortè tenellum
Caſus, ut humanis incommoda plurima rebus
Eveniunt, totâ plerumque his eminet alvô
Prociduus, tenerúmque infeſto pondere corpus
Affligit miſerè, & tanquam gravis hernia vexat?
Has ergo ut valeant ægris avertere curas,
Florentem medici Nardum, cui Celtica nomen
Tundere præcipiunt, & facto pulvere miſcent
Reſinæ, Terebinthe, tuæ, intritáſque liquenti
Græcæ oleo nucis excipiunt, cui dulcis in ore
Sit ſapor & leni demulcent unguine vulnus.
Inde etiam tenues flammis graveolentibus urunt

Panniculos, cinerémque legunt, & amara lupini
Semina, quæ ut rubro diluta fuere Lyæo,
His bibulos ſaturant ſtupas, adhibéntque dolenti.
Nec minus & linguæ imprimis tibi ſedula habenda
Eſt ratio, quando haud aliud præſtantius ullum
Conceſſere hominum generi pia numina munus.
Adde quod in magno hæc pueris lactentibus uſu
Eſſe ſolet, niveos dum ſugit ab ubere rores,
Quam ſi qua impediunt, curvóque volumine torquent
Implicitam, & rigido cohibent retinacula nexu,
Non ſatis officio eſt, fruſtráque tumentia captat
Ubera, nec præſens potis hinc educere nectar:
Unde ſiti perit in mediis, ſeu Tantalus, undis
Infelix puer, & jejuno corpore languet.
Has ergo, ſi quæ fuerint, abſtergere tricas
Expedit, & curtos quam primum exſolvere nodos,
Sive tibi hoc habili Chirurgus forcipe præſtet,
Mollitèr excidens, ſive obſtetricis acuto
Ungue manus, modò quiſquis erit qui talia curet,
Vicinas linguæ caveat contingere venas.
Illa etiam haud temere fecit cui Ranula nomen
Barbarus (inſtar enim ranæ eſt ſi exemeris artus)
Pernicies longè teterrima, quando ſub ipſâ
Exoritur linguâ calidóque exæſtuat ardens
Igne tumor, nimiâ mortem qui mole minatur
Interdum, parvóque animam præcludit alumno.
Cui ſimile id morbi eſt, cùm ſævâ ardentia flammâ
Gingivâ ſæpe in molli tubercula creſcunt,

Pér-

Pérque genas collúmque, & tota ſubinde per ora,
Purpureum latè ſpargunt incenſa tuborem,
Et faciunt febres & membra doloribus angunt.
Nec multùm his adèo differre videtur & illa,
Quæ pueri fauces gravis inflammatio vexat
Nonnunquam, paribúſque ſolet ſe prodere ſignis,
Quæ teneræ linguæ penitus radicibus hærent
Exiguæ glandes, veteres dixere Latini
Tonſillas, & ab his ſua morbus nomina ſumpſit.
Quæ mala corrupto cùm fermè a ſanguine manent,
Ipſe autem impuri damnoſo lactis ab hauſtu
Accipiat ſanguis vitium, quod acuta redundet
Bilis & inde acri ſcateant ſalſugine venæ.
Hæ tibi præcipuè partes, tibi ſedula nutrix
Hoc incumbet onus, proprio de fonte venena
Exigere, & pravi noxam depellere lactis.
Quare age, quæ pueri teneros depaſcitur artus,
Viſceribus finge ipſa tuis hanc gliſcere febrem,
Nec pigeat tanquam ægrotum curare libenter
Corpus, & hinc dulcem pupo inſtillare ſalutem.
Ille autem rapidæ dum ſæva incendia febris
Miteſcant, bibat Idaliis fragrantia ſylvis
Citria, quem mittunt aut Punica mala liquorem:
Si prius Eoæ ſuccis medicabere cannæ
Incoctum, & purâ miſcebis largius undâ
Tum blando violarum oleo, quod ab igne tepeſcat,
Collum ipſum lævéſque genas, & mollia inunge
Tempora, & exiguas infunde dolentis in aures

Ejuſdem pauxillum olei, quâ parte laborat
Præcipuè, ardentémque ægro jacit ore ruborem,
Nec minus interea reddunt quam trita farinam
Hordea, præcipiam candentis flumine lactis
Incoquere, & totum emplaſtris obvolvere mentum.
 Fors etiam graviora dabunt hæ tædia curæ,
Cum ſuppuratis abſceſſibus acria fient
Ulcera quæ toto ſerpent infeſta palato,
Depaſcéntque ipſas rabidâ prurigine fauces:
Tu niſi letiferi properas extinguere morbi
Semina, gliſcentémque altè compeſcere labem.
Quanquam alia eſſe poteſt hujus quoque peſtis origo,
Lac ipſum, & aliquâ quod contigit eſſe ſeroſum
Parte ſui, & crebro gingivam erodere fluxu,
Aut vitium capere in ſtomacho, ſe plurimus unde
Attollit vapor & puerilia fumidus urit
Oſcula, nec modus eſt unus ratióque medendi:
Multa adeò humanæ reperit ſolertia mentis.
Nulla tamen potior moderatâ cura diætâ
Hâc tu corrige lac vitioſum, nec minus inde eſt.
Vel violis melle intritis vel Orontide Myrrhâ,
Et Gallâ tenui, & Nabathæi cortice thuris,
Vince ulcus dirum, & ſerpentia ſiſte venena.
 Atque hæc præcipuè pueros diſcrimina tangunt
Omnia, quo teneris erumpunt tempore dentes
Dum ſibi videns ipſe viam molitur, & acri
Humore, ut terebra, gingivis mollibus inſtat
Improbus, & punctu aſſiduo retinacula frangit,

Sævóſ-

Sævóſque interea toto movet ore dolores.
Quæ tamen immitis tanta inclementia cœli eſt?
Síccine quod vitam foveant, ſtomachoque miniſtrent
Confectas epulas alimentáque mollia dentes,
Inde fit hos tanti ut cæleſtia numina vendant?
Ille quidem fluido querulus puer admovet ori
Exiles digitos, & quà pote ſe juvat ipſum.
Tu tamen hanc melior niſi juveris ipſa laborem
Nullus erit. Sed enim digitos prius illine molli
Vel cerebro leporis, Siculæ vel roribus Hyblæ.
Tum leni humorum affrictu, ſenſim elice, donec
Prævius exierit, factóque foramine demum
Dens novus emergat, pérque ora rubentia candens
Emicet, ut rubris incluſum forte corallis
Candet ebur, facili arte manus quod Dædala raſit.
Quod ſi incrudeſcat porrò dolor, ablue ſummum
Rore caput tepido, aſpergens, liquidíſque roſarum
Imbribus, ac niveâ totum ſuper intege lanâ.
Et tamen ipſa ſuo niſi munere fungitur alvus
Nil agis, inſano dabit incrementa dolori.
Dura igitur quoties fuerit, ſolvenda liquentis
Mellis ope. hoc adeo multos conducit ad uſus
Egregium inventum, quod amico ex æthere fluxit,
Sive id jejuno libaverit ore puellus,
Seu balani in formam poſtico exceperit ano.
Vel ſi divini defecit copia roris,
Ipſa manu lævi nutrix fidiſſima caulem,
Betámve aut viridis radicem ingeſſit hibiſci.

Quod

Quod tamen huic morbo proprium eſt, ſi fuſior alvus
Profluat, & gracili decedant corpore vires,
Quò magis hanc firmes adhibenda papaveris albi
Semina, nec deſint metuentis frigora myrti
Acceptæ Veneri baccæ, bicolórque cyperus.
Quæ ſimul intrita, & lactis diluta liquore
Parva ſalutifero recreabunt corpora potu.
Sin dira excruciant ipſum quoque tormina ventrem,
Et velut infeſto vellunt præcordia morſu,
Juverit imprimis calidâ qui foverit undâ,
Quíque oleo anthemidis ſimul aut fragrantis anethi
Unxerit, aut veteri quod ab igne caleſcat olivo.
Nam cutis hinc raræ per aperta foramina tranſit
Paulatim inſinuans calor, & collecta ſub ipſis
Frigora viſceribus pellit, ventóſque latenteis
Diſſipat, & morbi cauſas & crimina tollit.
Quid tibi nunc ſimili notos diſcrimine vermes
Perſequar, inviſos vermes genus acre veneni
Imbecilla feris qui morſibus ilia pungunt?
Namque malâ ingluvie lactis cum largiùs hauſti
Putreſcunt, latices crudámque quod exit in alvum
Viſceribus mucoſum hæret, pellíque recuſat:
Tunc prudens Natura ſuas ſe vertit ad artes,
Quódque abigi non poſſe videt, abſumere porrò
Id ſatagit, varióſque ideo de ſordibus iſtis
Lumbricos creat, interno qui viſcere ſerpunt,
Materíamque, unde eſt illis genitalis origo,
Depopulant ipſi, & cognata alimenta capeſſunt.

Ceu

Ceu quibus eſt ortus foliis depaſcitur illa
Vere novo celer & variis ſpectabilis alis
Papilio, damnúmque datâ pro luce rependit.
Verum ubi peſtis edax jam parte voravit ab omni
Quicquid erat, ſi forte dapes & pabula deſint,
Huc illuc ſe agit impatiens, vacuíſque latebris
Errat & infeſto morſu in præcordia ſævit.
Signa patent manifeſta mali, nam fætor in ore eſt
Plurimus, interdúmque animi vis ægra fatiſcit.
Dormitat puer, & tremulis connivet ocellis,
Nec faciles carpit ſomnos; temeréque ſopore
In medio tremit exiliens, quatit arida tuſſis
Pulmonem, & nares prurigo moleſta fatigat.
Quare age dede neci, aut quâvis ratione latentem
Pelle foras hoſtem: fugiet modò ſi quid amari
Porrigis, imprimíſque illud quod nomine vermes
Signavere ſuo ſemen, ſeu mitia poma,
Seu pultem, aut alias hoc pulvere ſparſeris eſcas.
Felle etiam tauri pallens conjunge cuminum,
Et leni ſummum emplaſtro ſuper intege ventrem:
Pernicies hinc certa feræ: nam cætera mitto
Plurima quæ priſci variè ſanxere medentes.
Ecquid enim numeris includere ſingula coner,
Materiâ cum multiplici mihi carminis ordo
Creſcat, & exacto ſubeat labor uſque labori?
Non mihi ſi centum dederint in carmina linguas,
Centum ora Aonides, mala dicere ſingula poſſim,
Quæcunque humanam vexant infeſta quietem

Cer-

Certatim inſidiaſque parant, lethúmque minantur.
Hinc triſtes vomitus, hinc exilit aſpera tuſſis,
Hinc parvas animas quæ nigra inſomnia terrent,
Hinc vigil irrequies placidos quæ carpere ſomnos
Non ſinit, illa equidem ex uno manantia fonte
Omnia, cum nimio ſe lacte ingurgitat infans,
Nec pote in exiguo ſtomacho vis tanta teneri,
Aut certè negat illa coqui crudúmque fatigat,
Plurimus unde vapor levibus ſurſum evolat umbris
Turbidus, & vanâ deludit imagine mentem,
Qui, quoniam molli vis eſt innata, cerebro
Frigida, denſatur liquidúmque coactus in imbrem
(Non ſecus ac pluvio concreta ex aëre nubes)
Labitur, & fluidâ teneras uligine fauces
Radit, & irritat quatientem pectora tuſſim.
Hanc ergo reprime ingluviem, ſedabitur omnis
Actutum dolor, & morbi mala ſemina cedent.
Quid loquar & mollis plerúmque ut procidat anus
Proluvie ventris nimiâ, cùm proximus illi
Muſculus humeſcit jam laxior, & ſua porrò
Munia obire negat, ſurſúmque levare cadentem?
Tu modò quæ poſſint adſtringere plurima miſce,
Pelle reluctantem licet, egreſſúmque minantem
Decoctíſque fove: ſed & hunc ante omnia lævi
Pelle manu inſinuans, atque in ſua clauſtra recondе.
Nec referam fædos qui tempore lactis achores
Per teneri caput erumpunt, faciémque puelli,
Et ſanie tabóque fluunt ſquallentiáque ora

Pinguibus obducunt cruſtis, locáque omnia complent.
Quippe & ſponte ſuâ cedunt ultróque faceſſunt:
Et ſi non cedant aliquis tamen uſus in illis,
Cùm cerebri educant ſordes & corpora purgent.
Verum illas dicam papulas, quæ corpore toto
Rumpentes rapidæ faciunt incendia febris
Interea, niveóſque artus infantis & ora
Deturpant, & longa ſui veſtigia linquunt:
Sive cuti emineant ſummâ, morbíque per omnem
Decurſum ardentes rutilo velut igne corruſcent:
Seu gelidi humoris lento torpore gravatæ
Subſidant, primo quæque ante rubebat in ortu
Puſtula paulatim albeſcat, latéque vagata
Deſinat in denſas maturo tempore cruſtas.
Nam geminæ morbi (quanquam diſcrimine parvo)
Sunt ſpecies, uno quas Exanthemata dixit
Nomine Pœoniis fœcunda nepotibus Hellas.
Cauſa mali impuro ferventes ſanguine venæ
Menſtrua quem materna, puer dum ventre lateret,
Infecere, luíſque bibens hinc ſemina traxit
Paruulus, aut has proluvies in carcere fædo
Accepit bibulis membris, ſervátque veneni
Relliquias, Natura ſuo quas tempore pellit.
Ac veluti totis olim fumantia cellis
Ferveſcunt nova vina, cadíſque erumpere certant,
Dum quas contraxit ſpumans vindemia ſordes
Eructet, puríque fluant e vaſe liquores:
Non aliter novus ingenti luctamine ſanguis

Æſtuat, immundum humorem dum ejectet in auras,
Et penitus toto purum ſe corpore fundat.
Nec deſunt alias alii qui quærere cauſas
Malint: quicquid erit, certè gravis imminet inde
Pernicies puero, neque peſtis acerbior ulla eſt.
Heu quoties fletu arguto nutricis amicam
Poſcet opem! non lactis amor, non cura epulandæ
Pultis erit, nulli venient in membra ſopores.
Ipſa diu ad cunas miſerè dejecta jacebis
Rorantes oculos, & tundes pectora planctu.
Perſuſóſque roſis illos, adeóque nitentes,
Tu quibus ante avidis figebas oſcula labris
Obſcænos fluido miraberis ulcere vultus,
Nec dicenda loquere. Sed hoc non queſtibus iſtis
Tempus eget, quærenda via eſt, quâ triſtia cedant
Vulnera, letiferíque mali contagia ſiſtas.
Continuò incenſos avertere profuit æſtus
Porrectis gelidæ rivis, quæ frigeret intus
Viſcera, ſed primo vix id contingat ab hauſtu.
Ergo redintegrant lymphas, vomitúque frequenti
Efficiunt, ne forte novo non uſque liquori
Sit locus, & potu repetito incendia ſedent.
Additur & victûs ratio: nam dulcia vitant,
Fructúſque immodico quicunque humore putreſcunt,
Tum Syrio rore, aut caſiâ medicata propinant
Pocula, quæ invalidi nutrix vice ſumat alumni.
Si tamen haud ideo tetri vis improba morbi
Ceſſat, & ardentem nequicquam extinguere febrem

Niteris, indomitóque luis pugnare furori:
Cede malo, puerúmque ſemel quod ferre neceſſe eſt,
Ferre jube, tantùm hoc moneo ne publicus error
Te teneat, qui non fallit muliebria tantùm
Pectora, verum ipſos etiam plerumque medentes.
Omnia dum faciunt ut quantumcunque veneni
Intus ineſt penitus ſe in apertas proferat auras.
Quippe adeò plena ingentis res illa perîc'li,
Erumpat ne vi nimiâ, nec in extera tantùm
Sæviat effuſæ largiſſima copia peſtis:
Verum ipſas etiam numeroſo vulnere fauces
Occupet, obſeſſæque animæ ſpiracula claudat.
Ille mihi (ah! memini) nuper malus error acerbo
Funere quadrimum Carolum, trimámque Dianam
Abſtulit, & gemino ſpoliavit honore penates.
Dii, ſi quà eſt pietas, & vatum cura ſacrorum,
Cætera vos ſervate tori ſuaviſſima noſtri
Pignora, & inviſam teneris avertite labem.
Quæ ſi quando tamen caros invaſerit artus
(Hoc ætas ferat, & non ſubſit cauſa timendi
Ne loca jam erumpens revocetur ad intima virus)
Auſim equidem ægroti ſalientem incidere venam,
Humoríſque aliò nonnullam avertere partem.
  Ne tamen interea reſtet quod ſanguine in ipſo
Corrupti non ejiciat Natura, juvanda eſt
Auxiliis, terra alma ſinu quæ divite promet
Plurima, téque adeò ante omnes quæ nomen ab ulmo
Herba capis, veterum priſcis ignota parentûm

Temporibus, noſtri decus & nova gloria ſec'lî.
Inſita quippe tuo vis admiranda liquori
Sudorem elicere immundum, fædámque ſoluto
Corpore contagem aërias educere in oras.
  Dum porrò incipient hìc paſſim emergere & illic
Florentes papulæ, vigili tunc mente cavendum eſt
Ne fortè aut oculos naréſve, aut tenuia puppi
Guttura, pulmonéſque, aut intima viſcera tangant.
Has etenim in partes etiam teterrima ſævit
Pernicies, damnúmque ægris lethúmque minatur.
Turgidulos ideo conſpergunt luminis orbes
Sive roſæ, nivei ſeu puro flumine lactis,
Quod leviter preſſo jaculatur ab ubere nutrix,
Coryciôve croco vultus & lumina tingunt.
Sed neque tutandis oculis non utilis humor
Punicus, illæſum qui ſervat & ipſe palatum,
Ore puer molli ſi grana rubentia carpat,
Manſorúmque avido detergat guttura ſucco.
At nares fovet acris odor porrectus aceti,
Pulmonémque juvant qui Barbaricæ Tragachantæ
Somniferum miſcent tenui cum lente papaver,
Et recreant feſſos confecto eclegmate folles.
Nec minus ipſius decoctæ uligine lentis
Lævia ab inviſo defenderis ilia morbo,
Qui poſtquam exeruit ſeſe, multáque replevit
Labe cutem, & turpes papulis graveolentib' artus,
Carpe manu actutum violas, quibus adde virentem
Anthemidem, & faciles malvas & furfura miſce:

Omnia quæ poſtquam tepidis incoxeris undis,
Turpia membra fove, & totum ſuper ablue corpus.
Jamque o parce puer lacrimis, parce optima Mater,
Tempus adeſt, mora nulla, mali cum victa facéſſat
Effera vis tandem, & decedat corpore languor.
Aſpicis ut matura ſuo ſe tempore prodant
Ulcera paulatim ejecto manantia tabo?
Si qua tamen rumpi durâ cute forte recuſent,
Aureolâ fodiamus acu, ſaniémque latentem
Ducamus, dum tota fluat, dum nullus abundet
Humor, & horridulis areſcant vulnera, cruſtis.
Quas ubi purpureáque roſâ myrtóque virenti
Foveris, atque oleo ceruſæ illeveris omnes,
Ilicet has toto de corpore ſentiet infans
Effluere, & toto ſparſas horreſcere lecto.
Sic ubi jam reducis brumæ novus horror aduſſit
Humoris vacuas frondes, arentia paſſim
Labuntur folia arboribus, nudáſque relinquunt.
Poſtremò (nec enim labor aſpernandus & ille eſt)
Plurima deformi ne reſtet in ore cicatrix,
Tu quem turgidulo in vitro ſi coxeris olim
Lilia, florenteſvé fabæ, cannævé paluſtris,
Aut ſalicis lentæ ſerpentes humida circum
Litora radices extillavere liquorem
Quære tibi: Sed & illum adhibent quem aſſata capellæ,
Lanigeræ aut pecudis ſudaverit ungula rorem.
Nec minor & timidi leporis tauríque cruori
Indita vis (dum fervet adhuc a cæde recenti)

Horridu-

Horridulam lævare cutem: Tu quolibet horum
Utere, non opis hîc tibi ſuppetit unius uſus,
Non hâc multa tibi deſunt in parte reperta.
Tantus amor, tanta eſt ſervandi cura decoris,
Et meritò: Quis enim duris niſi cautibus ortus
Divina eximiæ non laudet munera formæ?
Sed jam acti cursûs meta exoptata propinquat?
Nunc ego te immanis gelidæqûe ſimillima morti
Exequar, & ſummo percurram carmine labes,
Conventus populi Romæ cui nomina fecit,
Dixere a pueris Graii, quo cuilibet ævo
Cùm noceat, tamen humidulos tua damna puellos
Præcipuè exercent inceptæ a limine vitæ.
Tu penitus toto diſtentis corpore nervis
Affligis ſubitâ labentia membra ruinâ,
Mentémque interea & ſenſus intercipis omnes.
Ille diu jacet exanimis, altóque ſepultum
Eſſe putes ſomno, niſi quod fœdúmque fluentes
Ore vomat ſpumas, incluſáque murmura reddit
Stridulus, & tremulo jactantur brachia motu.
Sed neque perpetua eſt ſubiti violentia caſûs,
Itqûe redítque viam, & poſt cæca oblivia rerum
Nube dies pulsâ redit, & ſibi redditur æger.
Unde adeo morbi mirum genus? anne quod udum
Si quando cerebrum pituitæ viſcidus humor
Largius infarcit ſolito, jam non patet ulla
Spiritibus via, qui magno molimine nixi
Contendunt, clauſtríſque leves evadere certant?

Ipſáque nervorum, ut ſibi quæ ſunt noxia pellat,
Concuſſu ingenti ſimul obluctatur origo?
An potius gelidi quædam latet aura veneni,
Quæ ſeſe intus agens tacitíſque meatibus errans
Progreditur furtim & ſummam pervadit ad arcem,
Ut cerebro paret inſidias, quod utíque repellit
Inviſam, & ſeſe infando defendit ab ictu?
Hinc & quo tenui mage ſubtilíque cerebro
Quiſque viget, magis infeſtæ penetrabilis auræ eſt,
Præſtantéſque viros hæc ſæpe ruina profudit.
Quid memorem dio Veneris de ſanguine natum
Romulidem Imperii primus qui flexit habenas?
Quid qui hominum mentes mentito nomine luſit
Vanus Arabs, latéque Aſiam Lybiámque per omnem
Regnat adhuc mediâ mundi plus parte potitus?
Ipſe etiam noſtras olim dum carperet auras
Quàm prius Oetæis corpus mortale piaſſet
Ignibus, & patrio Deus acceſſiſſet Olympo
Ingentis Columen Cœli, Domitórque ferarum
Alcides curâ fuit haud immunis ab iſtâ.
  Forte Cleonæo quondam e certamine Victor
Dum redit, atque feræ exuvias indutus oberrat,
Et quà altæ Nemees forti vicina Phliunti
Latè ſylva viret, & quà via nota Corynthum
Ducit, ubi gemino brevis æquore ſtringitur Iſthmos,
Illum adeo improviſa lues nil tale timentem
Fudit humi: Herois gemuit ſub pondere tellus,
Vicinúmque nemus, vicináque Litoris ora

Accepit

Accepit ſonitum, & vocis reſpondet imago.
Ceu quondam ſylvâ in mediâ, cum navis in uſum
Sive jugis, magna Ida, tuis, ſeu Pelio in alto
Sternitur æratâ pinus labefacta bipenni,
Dat ſonitum latè ingentem, ſaltúſque remugit
Frondeus, & rupes, & in altis rupibus antra
Cæca ſonant, reſonâtque cavis e vallibus Echo.
Quem pulcra ut viridi collis de vertice vidit,
Forte manu plenâ medicas dum colligit herbas
Pæonis, intonſi Virgo de ſemine Solis
Educta indigenas inter celeberrima Nymphas:
Hunc miſerans, (agnovit enim certiſſima tanti
Signa mali) auguſtâmque viri mirata figuram,
Advolat actutum, ſi quà ſuccurrere lapſo
Sit potis, & membris inimicum avertere virus.
Nam Pater ipſe ſuas artes & munera Pæon
Edocuit, Phœbo Pæon genitore creatus
Doctrinâ ante alios medicus præſtantior omnes.
Primùm igitur ſpumis fluitantia turpibus orâ
Tergere linteolo molli, caput inde jacentis
Tollere, & inſerto dentes diducere ligno.
Mox & colla, manúſque ambas, & denique diri
Contraxit quaſcunque mali vis improba partes,
Græcæ oleo nucis, in ſacrâ quod fortè gerebat
Pyxide, collinere & leni componere frictu.
Tum virides rutas, aut ſi quid olentius illis,
Offerre ad patulas nares, dum noxius acri
Pulſus odore vapor tenues exiret in auras,

Deſe-

Deſererétque artus & ſenſus redderet ægro.
Qui poſtquam pariter Nympham cum luce medentem
Conſpexit, pulsâ horrendæ caligine labis,
Attonitus, longo poſt tempore talia fatur.
O quis te Superûm nobis pulcherrima Virgo
Miſit ut infandum eriperes miſerata dolorem?
Dii te, quæcunque es, tali pro munere ſervent.
Ipſe ego, ſi verus vitæ mihi Iupiter author,
Méque ſuos inter cœli quoque Regia cives
Expectat, nec vana animum præſagia fallunt,
Tempus erit tibi digna memor cum præmia reddam.
Interea ne me miſerum tam fœda ruina
Percellat toties, & cæpta ingentia turbet,
Quis modus, aut quæ ſit ſervandæ cura ſalutis
Dic precor, & ſævæ me (nam potes) exime peſti.
Sic tua, quod meruit, longinquas fama per oras
Exeat, & ſera æternùm per ſæcula creſcat.
O mihi quodcunque hoc ævi traducere tecum
Si liceat, firmo inter nos & fœdere jungi,
Nulla equidem triſtis formidem incommoda caſûs.
Verum aliò nunc fata vocant, odiúmque Novercæ
Urget & injuſtos me cogit adire labores.
Sic ait, & placitâ vultus in virgine figit.
Excipit hæc; equidem Alcide (nam te tua nobis
Dicta ſatis produnt, & fortis robora clavæ
Jamdudum, & cæſi exuvias agnoſco leonis)
Percipio fructum ingentem, nec pœnitet hujus

Me ſtudii, ſi quid (quod Diíque Deæque ſecundent)
Tantum Heroa juvo, & vitæ in diſcrimine ſervo,
Quare age, & hæc nuper quæ me Pater eſſe docebat
Phœbæus Pæon, quo non præſtantior alter
Vincere pallenteis morbos, & fata morari
Accipe, conſtantíque memor ſub pectore ſerva.
Principio, id morbi generet cùm plurimus humor,
Profuerint quæcunque calent, areſcat ut inde
Cauſa mali, & ſicco penitus de corpore cedat.
Ergo te ratio fugiet ne congrua victûs,
Et quodque eſt udum magis adverſúmque calori,
Hoc fugito : Sed nec ſuavis te oblectet Iacchi
Copia, non largos impunè iteraveris hauſtus.
Nec tremulis porrò labentia flumina lymphis,
Aut ſi quid rapidâ vertigine fertur in orbem
Te ſpectare velim temerè, nudâve ſoporem
Carpere humo, aut craſſi nebulis aſſueſcere cæli.
Nec minus interea gravium fuge quicquid odorum
Naribus ingratum eſt, & ab omni triſtia mente
Tædia, & immundas expelle à corpore ſordes.
Neu tibi opis medicæ labor atque induſtria deſit,
Vidiſtíne unquam gelidæ quod ſidere brumæ
Fronde novâ ſolet in ſylvis pubeſcere viſcum?
Hoc lege quod veteris circundet brachia quercûs.
Nulla medela tibi potior, ſeu dulcia jungis
Cinnama, diluto & vini latice excipis albi
Confundens, plenóque novum bibis ore liquorem.

I Seu

Seu combuſtam hominis calvam, ramoſáque cervi
Cornua comminuis, & facto pulvere miſces
Adjungens Arabûm ſuaves ante omnia ſuccos,
Scilicet ut nullus comedentem avertat amaror.
Tantum hæc manè, prius quam epulas & pocula carpas
Alternis jubeo te ſumere, menſtrua donec
Luna ſuum curſu exacto compleverit orbem.
Nulla mora, inviſi vaneſcent ſemina morbi,
Et tecum alma ſalus terras comes ibit in omnes:
Tu mòdo grata hominum ſi quid benefacta merentur,
Vive memor noſtri. Nec plura effata receſſit.
 Ille oculis ſequitur fugientem, & corda recenti
Saucius aſpectu tantæ meritíſque puellæ,
Paulatim ardeſcit, pulſóque priore veneno
Longè aliud ſentit tacito ſub pectore vulnus.
O quoties flagrantem animum veſana libido
Inceſſit temerè quaſcúnque eat illa per oras
Velle ſequi! Sed enim qui monſtra domare ſolebat
Cætera, in id tempus domuit quoque victor Amorem.
Felix, ò nimium felix, ſi nullius unquam
Forma Ioles cæcis mutaſſet pectora flammis!
 Non tamen affectu ille pio curæve pepercit:
Verùm ubi poſt longo jam tempore ſumma relatus
Aſtra ſuper Divûm in numerum, ſuprema puellæ
Tempora vidit adeſſe (vident quippe omnia Divi)
Antiquos animo revocavit gratus amores,
Dilectóſque ſibi putreſcere noluit artus

Humanum in morem, at meliori ſorte beavit.
Nec mora, quæ fuerat formoſo fæmina vultu,
Herba fuit, formâ reliquas quæ vinceret herbas,
Pœoniam dixere, nec ulla ſalubrior uſquam eſt.
Nam memor officii Deus, acceptæque ſalutis
Indidit has vires, ut quam ſanaverat herbis
Ante luem, ipſa ſuo ſanet nunc optima ſucco,
Addidit & menti monumentum inſigne favoris,
Ut cuicunque recens felicis pendeat herbæ
De collo radix, tale (mirabile dictu)
Nunquam peſte cadat, voluit quod Delius ipſe
Eſſe ratum, gnaríque obſervavere minores
Hactenus, & tanti narrant miracula facti.
Nec piguit memorare, meíſque intexere chartis,
Quando etiam ficto variarunt ſeria ludo
Sæpe ſacri vates, & amant figmenta Camænæ.
  Hæc ego Pictonicis olim ſecretus in agris
Buxiferos inter colles & confraga ſaxa,
Numen ubi dabat ipſe loci gratiſſimus horror,
Cantabam exili quà ſe vagus amne per herbas
Clanus agit ſenſim & ſinuoſo littore ſerpit,
Tempore quo veteri deductus ab Hectore ſanguis
HENRICUS, nova ſpes hominum nova cura Deorum,
Gallica Sarmaticis forti conjuncta gerebat
Sceptra manu, & creperi poſt cæca pericula Martis
Optata unanimes revocabat ad otia Gallos.
Cúmque ſuos ſacris pius inſtauraſſet honores,

Poſ-

Poſcebat prolem ſuperos, & ſupplice voto
Conjuge cum unanimi, quâ nil auguſtius uſquam eſt.
Quáſque ſacras ædes, quæque indefeſſus adibat
Templa Deûm, caſtas & dona ferebat ad aras,
Non hyemis, non illum æſtûs cura ulla tenebat,
(Tantus amor) non qui mediis ſæpe imber in agris
Fœdabat peditem, atque iter occludebat eunti.
Vos ô, ſi quà pios reſpectant Numina Reges,
Cælicolæ, ſi quid ſancti meruere labores.
Eſte boni, facilémque piis date queſtibus aurem:
Eſte boni, tandémque altam fundate beatâ
Prole domum, & lætos natis augete parentes.
O mihi fatalem Lacheſis ſi differat horam,
Dum liceat ſpectare diem cùm maſcula proles
Spes generis tanti ſuperas in luminis oras
Exiſtat ſacro ex utero, cùm Regia tota
Perſonet ingenti plauſu, cùm incenſa per urbes
Undique feſtivis celebrentur compita flammis,
Lætitiáque fremat Populus, ſpémque omine fauſto
Concipiat fore jam ut dubiæ diſcrimina ſortis
Nulla ferat, placidâ ſed longùm in pace quieſcat.
Quódque colunt ultro per tot jam ſæcula nomen
Florentes latè Populi, quos alta Pyrene,
Quos & magna Thetis, magníque ſonantia Rheni
Flumina, & aeris includunt montibus Alpes,
Uſque colant, ſervétque ſuum ſors læta tenorem,
Tunc neque Naturæ penetrâſſe arcana latentis,

Nec

Nec tantum huic operi nos impendiſſe laborum
Pæniteat, noſtro ſi munere Regius Infans
Educandus erit, ſi non ſolum iſta capeſſent
Plebeiæ præcepta nurus, ſed regia nutrix
Ipſa etiam colet, ac memori ſub mente recondet,
Noſtráque ad auguſtas iterabit carmina cunas.

FINIS.